



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Universitätsbibliothek Paderborn

**Iacobi Bidermani E Soc. Iesv Ignativs Sive De Vita Et
Gloria S. Ignatii Loiolæ Soc. Iesv Conditoris Libri Tres**

Bidermann, Jakob


Antuerpiae, 1635


urn:nbn:de:bvb:12-bsb10788217-5





K
I
8

M. 2545.











Antuerpiæ ex Officinâ Plantiniana
Balthasaris Moreti. M.DC.XXXV.

M

Q

Se
al
co
lu
re
it
&
P
li
g
x

Q

di
fi
c
gi
&

MVTIVS VITELLESQVS
Societatis IESV Præpositus
Generalis.

CVM Vitam S. IGNATII de LOIO-
LA, P. Iacobi Bidermani, nostræ
Societatis, nonnullis in locis auctam,
aliquot eiusdem Societatis, quibus id
commissum fuit, recognouerint, & in
lucem edi posse probauerint, faculta-
tem concedimus, vt typis mandetur, si
ita Reuerendiss. Domino Vicesgerenti,
& Reuerendiss. Patri Magistro Sacri
Palatij videbitur. In quorum fidem has
litteras, manu nostrâ subscriptas, & si-
gillo nostro munitas dedimus Romæ
XXII. Octobris, M. DC. XXXIII.

Mutius Vitellescus.

Imprim. si videbitur Reuerendiss. Pa-
tri Mag. Sac. Pal. Apost.

A. Torniel. Vicesg.

SANCTISSIMI Patriarchæ IGNATII LO-
SIOLAE, Societatis IESV inclyti Con-
ditoris, à R. P. Iacobo Bidermano ex
fide & certis tabulis descriptam, ego
ex commissione Reuerendissimi P. Ma-
gistri S. P. A. peculiari meo solatio legi,
& communi omnium profectui probo.

A 2

Placuit

4

Placuit methodus, delectauit stylus, tenuit argumentum. Audacter spondeo, inuenient docti quod laudent, probi quod imitentur, improbi quod confundat. In exigua opella vidi ingenia magnalia Dei; despiciatissima principia in miram excreuisse amplitudinem: vniusque hominis, perpetuo studio se vilificantis, prolem illustrem, summâ celeritate & maiestate in omnes pænè orbis regiones diffusam. Felicis parentis felix progenies, senescenti orbi fulciendo submissa. Hæc abundè probat iste commentarius. Ego typis & lectione dignissimum censeo. Romæ ad Aram cæli. Idibus Nouemb. anno M. DC. XXXIII.

*Fr. Lucas VVadingus V. Commissarius
generalis Ordin. Minor. Reg. Obser.
in Curia Romana.*

Imprimatur.

*Fr. Nicolaus Riccardius Sac. Pala-
tary Apost. Mag. Ord. Pred.*

L E-

LECTORI.



ONDUM *relatus in*
Sanctos IGNATIVS
erat, cum aggressus
 ego sum VITAM
eius, famaꝫ comperta
miracula, qua de ipso Petrus Riba-
denira Hispanicè iam vulgarat, La-
tinè prodere, omniaꝫ breuiori, quàm
alij fecerant, commentario lucubra-
re. Et pretium eius opera fuisse, vi-
sus est Lector iudicare, cui in paucis
annis libellus hic debuit plus sexies
recudi. Intereà loci, cum IGNATIO
decernendi honores publici essent, in-
stitit Romana Curia Vitam eius om-
nem recognoscere: quam & graui
iudicio comprobata, tabulis de-
mum publicis consignauit. Qua ta-
bula quò maius habere pondus ad
omnes debent, eò plus fidei mea se
narratio sperauit inuenturam, si
cum iisdem & ipsa congruere mon-
straretur. Ea propter negotium de-
dere Praesides, ut conferrem. Vbi con-

tuli, tanta continuò huius cum illis
 concordia apparuit, ut pleraque mea
 narratio, ex ipsis tabulis deprompta
 fuisse, neque, prater styli methodiq;
 discrimen, ullâ re aliâ differre vide-
 retur. Gratulatus hac sibi concordia
 liber, in eo prater eâ laboravit, ut
 VIRTUTES IGNATII, quas ille
 eximias in vitâ monstrarat, etiam
 seorsim legendas in chartâ exhibe-
 ret; tum deinde, ut noua quedam
 eius miracula memoraret, quæ, quòd
 non dudum euenere, Actis illis tabu-
 lisq; inferri nequierant. Ceterum nec
 ipsa mihi ex vulgi rumoribus hau-
 sta, sed omnino talia, quæ legitimâ
 auctoritate recensâ firmataq; su-
 spicioni locum non relinquunt. Fruere
 tu Lector, DEVM QVE in Sanctis
 suis gloriosum agnosce mecum, &
 venerare. Roma Kalendis Augu-
 sti, M. DC. XXXIII.

S. I G N A.

7
S. IGNATII
VITA.

LIBER PRIMVS.

IGNATII *natalis, & iuuenta.*

C A P. I.



IGNATII, quem primum familiae Parentem habemus, natale solum Hispania fuit, eâ parte quâ montibus Pyrenæis clauditur: indigenæ Guipuzcoam, prisca Cantabros dixere. Id loci sub annum Christi millesimum quadringentesimum nonagesimum primum nascitur IGNATIVS; quo tempore Innocentius, Romani nominis Pontifex octavus, & Fridericus Imperator tertius, rerum potiebantur. Parentes habuit, de principe vtrum-

A 4

que

que familiã : patrem, Bertramum, virum illustrem, Ognis & Loiolæ Toparcham : mater fuit Marina Sone, domo Baldensis, claro genere nomineque femina, nec ceteris virtutum insignibus marito impar. Hunc plerique rerum Scriptores, qui nostrã maiorumque memoriã claruerunt, eò natum præcipuè credidere, vt Hydram ille, quæ grassatura iam tum, & Lutheri veneno Septentriones erat infectura, retunderet. Quorum opinionem & Curia Romana magno nuper suffragio adiuuit.

2. Emicabat in puero iam tum eximia quædam indoles, animique & ingenij vis magna, si inter bonas artes adolesceret. Sed vix morati parentes, dum infantiam exiret, cum præproperã spe ad Ferdinandi Catholici Regiam amittunt, inter æquales ibi liberaliter educandum. Hic omnibus aulæ disciplinis institutus, breuî docuit, nihil se mediæ fortunæ passurum : cœpitque, vt primùm vires erant, ardua velle,
glo-

gloriam è claris facinoribus petere, inter primas curas militiam habere, eoq̄ue assiduis equitum velitationibus assuescere. Quâ exercitatione, vel idcirco præstare se alijs cupiebat, vt nosci præter ceteros populo, & quondam inter Heroas memorari posset. Sed iuueni ad ingentia nitenti, materies laudis, quæ adhuc defuerat, haud multò post vbertim suppeditauit.

3. Nam anno Christi supra millesimum quingentesimo vigesimo primo, vbi Gallos in armis esse percrebuit, arcemq̄ue Pompeiopolis iam arctè obsidionibus premi, quam ijdem operibus propediem machinisq̄ue verberaturi putabantur; **IGNATIUS** eius tuendæ negotium accepit. Ibi ceteris rei difficultate perterritis, & quòd auxilia nusquam vlla sperarent, de præsidio deducendo paciscentibus, solus nimirum intercessit: mutatoq̄ue omnes consilio, ad mortem oppetendam prius, quàm flagitium consciscerent, induxit. Ita decus

IO S. IGNATII VITA.

retentæ tunc munitionis , penes
IGNATIVUM fuit. Sed per illos for-
tè dies pertinaciùs Galli agere , &
ferreo telorum imbres in arcem ef-
fuso, maioriq̃ue ballistâ institerunt
præsidium quaterere : quo demum
impetu, labantis muri fragmentum
conuellit. Ea moles IGNATIO
propter assistenti, & egregiè dimi-
canti, in læuum crus incubuit: quæ
vt tibiam modicè læsit, ita globus
ipse in dexteram illatus, eam ve-
rò miserrimè habitam, pleramque
omnem collisit. Ex eo vulnere col-
labitur IGNATIVUS. Hunc vt af-
flictum videre ceteri, omnes nullâ
morâ sese arcemq̃ue hosti dedunt.

4. Loco in potestatem adducto,
IGNATIVUM Galli, præ quàm ab
hoste speres, clementer acceptū, in
sua primùm contubernia deferunt:
tū interim cognito viri genere, im-
pensè laborant vt ægritudine leue-
tur: deniq; lecticæ impositum, suc-
collantibus humeris in patriam re-
portant; obsequio vel in fratribus
raro, nedū in hostibus memorando.

IGNA-

IGNATII *repentina mutatio.*

CAP. II.

5. **I**BI cum per diu in morbo cubaret, re ad summum vitæ discrimen adductâ, insperatò propitium habuit Numen. Ipso enim Apostolorum principum peruigilio, beatus ad illum Petrus ad spectabili ore inuisit; ac velut medicâ manu ægritudinem deterfisset, iam fugientem è corpore animam retinere, morbiq̃ue crescentis pertinaciam flectere incepit. Coluerat quippe hunc IGNATIVS principe studio, tutelamq̃ue sibi prouidus adoptarat. Nec diutius factum, & æger ab eo dein ad spectu conualescit.

6. Ceterum quâ erat elegantia Iuuenis, cum aduerteret, clauum infra genu, malè coaliti ossis vestigium, eminere; eamq̃ue rem impediendo ocrearum decori esse, nihil cunctatus, iussit, quidquid eius emineret, ad viuum rescari. Id si fieret,

fieret, cum graui vulnere pares erant cruciatus exspectandi. Inter quos ille vniuersos ita durauit, vt, nobilitate Spartanâ, ne gemitum quidem ederet, orisve hilaritatem colore mutaret. Sed necesse tamen habuit, donec rediuuium vulnus in cicatricem alteram coiret, lectulo hæerere.

7. Ibi fallendi temporis, libellos institit petere, quorum lectione pridem insuesset: eos nimirum, qui Heroum Equestria, & hoc genus profana ludicra commentis inani- bus fucarent. Verùm opportunè est factum, vt, cum per id tempus hæ fabularum illecebræ domi nusquam essent, earum vicem duo melioris argumenti codices ægro ferrentur: altero vita resq; à Christo Domino gestæ, altero, ab cælitibus reliquis facta facinora perscribebantur. Hos ille versare primum otiosus aggreditur: post ipsa ea lectio in voluptatem vertit, cœpitque animus affici paullatim ac delectari; demum consilium ca-
pit,

pit, olim reipsâ, quæ tunc legisset, imitari.

8. Enimuerò hîc se ipse continuo aduersarium habere; multa, cur incepto desisteret, occurrere, iam inolita per vitæ licentiam consuetudo; iam eius, quod porrò moliebatur, difficultas, & mille talia sollicitabant. Sed nimirum cælestia præpotuere, & breuî aduersus illam cogitationum intemperiem debellatum est. Accidit fortè vt noctu, quòd ita iam eius consuetudo ferebat, cubitu surgeret, & in genua deiectus, preces Parenti VIRGINI litaret, cuius tum icona coràm spectabat. Hîc ingentis desiderij plenus, Virginem Virginis-que Filium adoritur: id vnum adnixus, vt apud eum sibi ducem sacramento dicere liceret. Quippe mortalia prorsus abdicare, vni-que illi auctoratus æternum mancipari iam cupiebat. Habuere momentum eæ preces. Continuo ædes claris fragoribus exsonare, & cubiculum adeò cœpit impatienter tremere,

mere, vt eo motu vitrea quædam fenestra se ruperit.

9. At loci tremor is, non I G N A T I I fuit; quem cetera erectiorem, vnus hic etiamnum metus angebat, qui pudicitiam de reliquo ab hostium insidijs tueretur. Talibus curis anxium non destituere oculi cælestes: & magna Virginum Regina pro I G N A T I O, in hanc formidinem pugnatura, prodijt, cum vigilanti illi se suumque in complexu Filium cõspicuos dedit. Quo spectaculo repentè mutatus, in promptu habuit, omnem porrò voluptatem constanter repudiare, atque ab eo die, donec obiit, vitam castè næuiq; immunem traducere.

10. Iam idem illac tenus exarserat, vt non contentus paruo, rationes iniret, vbi locorum de cetero, atque inter quos degere, consultissimum foret: certus, assiduis corpus supplicijs lentè conficere, & Numini præter ceteros egregiè seruitutem seruire. Diu deliberatum est: cum I G N A T I V S, quò qui-

quidem iret nondum inuento, reperit vnde saltem abiret. Nam ante omnia, placuit patriâ excedere, ætatemque reliquam ab necessarijs procul habere. Ita rebus maturè prouisis, constituit profectio- ni diem. Potuit ea molitio subole- re sagacibus, certè fratrem natu maiorem in tempore aduertit: qui turbare consilium aliquamdiu co- natus, minus nihilo profecit. Nec porrò, vt decretum IGNATIO vi- dit, odiosus esse, aut intercedere au- sus, hominem duobus famulis co- mitatum, ab se amittit. Hic ille Ducem Naiaræum, cognati fan- guinis principem, quem interui- feret, caussatus, ad montem SER- RATVM intendit; celebri famâ locum, & religione veteri insi- gnem. Haud longè prouectus, ser- uitijs duobus modestè se abdicat, cum prius rerum, quas adhuc de veteri fortunâ sibi reliquas fecerat, partem ijs non parcè erogasset.

II. Inde perpetuò solus esse, atque toto itinere nullam adeò noctem

noctem agere, quâ in se ipse flagris non animaduerneret. Idque iam tum salubriter instituit, quod postmodò sibi suisque æternum esset, *Omnia, quaque facere, quaque ferre contingeret, ea in vnius Numinis MAIOREM GLORIAM reducere.* Interim dum pergit secum assiduè reputare, quibus eximijs studijs Numen sibi demereretur; subit vota suscipere, & suam corporis animique castitatem CHRISTO MATRIQUE Virgini consecrare. Quod decretum felici postmodum æternaque constantiâ signauit. Igitur vt proximè eum montem, de quo demonstrauiamus, abfuit, vestimentum alicunde sibi coëmit, rudi opere illud, maleque sartum, quò pristinum corporis ornatum emutaret. Id erat omne, talaris pro tunicâ cento, spartei pedum calcei, tum in baltheum funis, & haustum de veteri cucurbitâ: paupertina supellex, ac profectio, quam viator in Palæstinam moliebatur, idonea.

12. Vix etiamdum illo in mente constiterat, cum inter primas adeo curas, coepit de quaerendo Medico circumspicere, cui omnes animi sui plagas nudaret, quemque super ferijs rebus consulere tuto possiet. Et vsu forte venit, vt in Ioannem Clannonem incideret, patriam Gallum, virum religione ac cetera virtute singularem. Apud quem tridui spatio omnem priorem vitam, inter gemitus, veri doloris testes, pensiculate recognouit. Eumque ille, ad id locorum, primum atque vnicum habuit, cui consilia, quae secum agitarat, detecta vellet.

13. Effectis deinde quae oportuit, ac propediem discessurus, donum coenobio equum relinquit; in templo telum ac pugionem, emeritae militiae symbola, ante VIRGINIS aram suspendit dedicatque, alijs exinde armis vsurus. Post, appetente noctis crepusculo, remotis arbitris commodè abit, vilemque per compita mendiculum quaerit; reperto, clam, quid fieri
 B velit,

velit, ostendit. Inter hæc suis se vestibus IGNATIVS exiit, omniaque ad ipsam interulam homuncioni attonito relinquit. Illorum vicem, pingui lacernâ, quam eam in rem nuper coëmerat, ante diem octauum Kalendas Apriles induitur. Hac metamorphosi mirè quàm lætus, illicò ad templum festinat recurrere, atque totam deinde noctem pro ARÂ VIRGINIS excubare, in morem veterem peruigilio initiandus. Ibi erectus modò pedibus insistere, modò supplex genibus niti; & largis oculorum imbribus madens, in VIRGINIS fidem clientelamque se dedere. Ne quâ verò agnoscat, gloriæ fugiens, summâ luce maturat proficisci.

IGNATII *pœnitentia Manresa.*

CAP. III.

14. **O**PPIDVM est in Illergetibus Manresa, aliquot passuum millia à monte locus, cuius ijs qui Barcinonem petant: illuc ire insti-

instituit **IGNATIVS**, inundatus
 lætitijs, & eo ornatu, de quo supra
 docuimus, mendicantis fortunæ
 tunicâ, & fune cinctus, & baculo
 armatus caput, alterumque pedem
 nudus: nam alterum, quod à re-
 centi vulnere vexatus interim in-
 tumesceret, placuit indulgenter ali-
 quamdiu habere. Ita profectum,
 haud multò post citato gradu cur-
 sor assequitur, atque ab eo sollici-
 tē suāsne vestes homini cuidam
 fordido donarit, scitatur: eum, quod
 abiectis centonibus, repentē nitere
 cœperit, neque plebeius animus in
 purpurâ agnoscere se voluerit, Ma-
 gistratui suspicionem auxisse, fur-
 tique reum tantisper in vinculis
 iam attineri. Illacrymauit hoc nun-
 tio copiosè **IGNATIVS**, sese mul-
 tis incusans: & hominem utique
 iam infelicem ratus, cuius etiam
 beneficia forent alijs damnosa; ad
 extremum, quò pauperis innocen-
 tiam absoluat, factum confitetur.
 Quis verò & cuiatis esset, aut vnde
 locorum proficisceretur, rogatus,
 B 2 nullo

nullo se umquam indicio prodidit. Satis nimirum habuit, si, defenso paupere, insidias gloriæ falleret, sui que contemptu mortalia triumpharet.

15. Manresam ut ventum est, primum IGNATIO fuit, ad ædes hospitales diuertere, eas, quibus tutelâ præest S. Lucia. Ibi specus inter annis crepidines, hic tu modico in profundum patebat: circum undique vepres, eo que haud facilis accessu. Intima loci terra cum primis & horrida. Ponenda hinc rerum meliorum incunabula fuere, & nempe animus inter plebeiam egestatem aliquando experiendus. At incredibile memoratu est, quàm sese afflictere id loci, & quantis rigoribus corpus atterere laborarit; earum maximè voluptatum reliquias persecutus, ad quas auidius olim adhæsisset. Vetus illi consuetudo fuerat, capillamentum curiosius struere, comamque velut in statione disponere, reliquo item corporis cultu usque in vitium gaudere.

dere. Illam tunc vt elegantiam vindicaret, detecto, quod diximus, capite, crinibus turbidis atque impexis horrere, & ob barbam atque vngues prolixè deformes, despiciatui esse ceteteris concupiebat: tum deinde lectulum somnumque humi capere, noctem pleramque vigilijs lacrymisque exigere.

16. Ad hæc plagis ter quotidie corpus incessere, septemque ipsas horas flexus inter preces ducere: perinde quasi iugem corpori iniuriam facere, id demum foret, animi imperio vti. Per dies prætereà singulos, siue diuina fierent, siue vespertinis vltimisque precibus operadaretur, adesse, cum egregiâ quadam voluptate perseuerabat. Scilicet animus iam illi ad cælestia capienda facilis cereusque erat, & quem sacra carmina miris suauitatibus demulcerent. Victus lautitias rebatur, atri durique panis crustulum, quod pro stipe acceptum, ipse famelicus interdum non sæpius semel cum fontanâ sumebat: reli-

quo, & quidem meliore, quod obuenisset, in pauperes erogato. Quâ de re cum eum Agna Pasqualis fortè obiurgasset; respondit, indecorè facturum, qui Christi clientulis viliores, quàm sibi, annonam reseruaret. Hic ieiunij tenor, si diem Dominicũ exciperes, IGNATIO perpetuus fuit, vt interdum pane solo cum aquâ vesceretur: quamquam sæpè his etiam ipsis biduum totum triduumque abstinent, notabili virium defectu.

17. Et euenerat quondam Manresæ, vt plusculis diebus nusquam conspiceretur: quod cum amici fieri præter morem crederent, veriti sunt, ne quid homini sequius accidisset; eaque propter solliciti, requirendum censuere. Et ecce, longo post tempore in modico sacello reperiunt humi abiectum, viribusque iam æquè ac sensibus ex inediâ destitutum. Perterriti, continuo suppetias occurrunt; & ijs, quæ corpori erant confirmando, ex promptis, ægrè demum restituant.

tuunt. Sed hoc deinde cum sæpius accideret, IGNATIVM pro amicitia rogant, ne in eo rigore progredi porrò obstinaret. Quibus suauiter ille, Quæso vos, inquit, hoc agamus; & donec animus, depulso discrimine, in tuto collocetur, sinamus corpori huic ægrè esse.

17. Verùm per hæc tam pertinacis incepti studia, breuè se ita maceravit, vt iuueni nuper robustissimo, formam crederes omnem gratiamque defluxisse, neque vires, nisi animæ retinendæ necessarias, superesse. Quo toto tempore dolis insidijsque clam grassati inferi, denique cœperunt mutatâ personâ palam velitari, æquè irritò successu. Nam iuuenem induerunt, vultu habituque non indecorum: qui vt iuxta adstitit, oculis in IGNATIVM coniectis, moueri se miserabili eius formâ fortunaque simulabat. Et ingressus pedetentim, mollibus argumentis asperū vitæ genus insectari, eò peruenit, vt IGNATIVM, si porrò pergeret, haud

dubium sui homicidam insimular-
ret. Daremus tamen, vt citra mor-
tis periculum in se sæuiret; certè
autem valetudine diminutâ, nihil
virium ei, ad Dei seruitutem, quam
præ se ferret, remansurum. Addidit
verbis, quos conuenerat, colores,
non imperitus fallendi artifex, ni
cælestis IGNATIVM tutela mu-
nijset: qui deprehensis insidijs,
nullo veteratorem adspectu digna-
tus, ad Marianum facellum illicò
refugit; atque ibi lacrymans, in-
cepti rigoris constantiam instaura-
tis desiderijs confirmavit.

19. Ceterùm, vt corporis illum
incommoda attenuarint, curæ ani-
mum grauiores infedere; quas in-
gentes atque intempestiuas, nescio
quis de nihilo metus sufficiebat.
Tametsi enim nihil ille pensius
pridem habuit, quàm vt vltimam
vsque pueritiam accuratâ confes-
sione lustraret, immodicis tamen
etiamnum angoribus carpebatur:
neque vlla aut precanti quies se
ostendere, aut per ieiunia ceterum-
que

que vite rigorem, turbulentia mentis potuit componi. Ergo cogitationum æstu, velut longi doloris impotentiâ, collisus, in terram incumbebat, nihil vsquam reliqui videns, quâ porrò euaderet. Tandem cibum omnem potumque decreuit obstinatè reijcere, quâ citra periculum posset, donec sua menti malacia redderetur. Septem adeò dies ea tenuit inedia, vt nihil interim, neque cœptæ consuetudinis in corpore vexando remitteret, neque viribus tamen plus solito deficere-
tur. Insolentiam facti rescivit denique Sacerdos, cui vni arcana credere sua consuêrat. Is, ne in consilio perseueraret, intercessit. IGNATIVS non insuper habendum illius imperium ratus, paruit haud grauatè monenti.

20. Hanc eius obsequelam tanta continuò tranquillitas excepit, quæ eximendis olim aliorum turbelis mirificè valeret. Neque temerè postea fuit hoc morbo tam impeditus aliquis, tamque obse-
sus,

sus, quin illo absolueretur, ut pri-
 mum IGNATIVM consulisset.
 Et succedere mox ostenta cæle-
 stia, quorum compluria post me-
 morabuntur: ut planè subierit illud
 Vatis dicere: *Secundùm multitu-
 dinem dolorum meorum in corde
 meo, consolationes tuæ latificave-
 runt animam meam.* Illud hinc in-
 terea suffecerit adnotasse, quod sa-
 tis compertum est, per eos dies,
 quibus Manresæ hospes degebat,
 ei plus tricies, aut Christum, aut
 Matrem eius Virginem, inter pre-
 ces apparuisse: magnaque suavita-
 te delibutum, ad arcana cælestia
 eminus cognoscenda, & meditan-
 dos Christi dolores, piè excitasse.
 Unde memorabile in primis ha-
 betur, quòd qui rebus fluxis ad id
 locorum impensè deditus, ac mili-
 tiæ quàm litteraturæ scientior fuisset,
 (nam huius, præter rudimen-
 ta, nihil attigerat) tantâ rerum cæ-
 lestium scientiâ pollere cœperit,
 quantam, nisi de cælo haustam,
 nemo habuisset.

21. Per

21. Per eos dies libellum asce-
ticum aggressus est (quem EXER-
CITIORVM dicimus) lucubrare,
arcanae sapientiae feracem, & cui
omnis ordinis mortales multi suum
profectum in acceptis retulere; ne-
que adeò, si suis momentis aesti-
metur, eum à tirone, qualis IGNA-
TIVS tunc erat, scribi potuisse cre-
das. Libellum Paulus postea III.
gravi examine recognitum, pro
auctoritate suâ probum censuit,
ratumque esse posteris iussit, ac re-
scripto in annum M. D. XLVIII.
diplomate, omnes ad eundem se-
dulò utendum inuitavit.

22. Ceterum IGNATIVS, qui
in hunc ferè modum vires opef-
que corporis attriuerat, tot nouissi-
mè pugnis confectus, non potuit,
quin vltimi morbi pericula arces-
feret. In quibus morbi iniurijs
compertum est, quantum virtuti
etiam externae vbiuis gentium de-
ferretur. Quoad enim decubuit,
publico sunt sumptu omnia ei pro-
lixè suppeditata: simul & priuata
mul-

multorum studia exarserunt, qui viri moribus permoti, suis pro se quisque in illum obsequijs certarent. Profuitque multis, adijisse; quippe spectatis ibi non vulgaribus documentis, cum audirent **IGNATIVM** de virtute perorantem; multi continuo vitæ suæ rationes mutarunt; & imitati vnus exemplum, Sacra frequentare religiosius, quam ad eum diem fecerant, studuerunt; tantâ rerum morumque conuersione, vt iurati prodierint testes, qui affirmarent, in ijs locis, prius certè quam **IGNATIVS** venisset, vix vllam diuinorum notitiam apud incolas valuiffe. Visuntur eius rei præclara ibi vestigia, & supra sexagesimum abhinc annum, indigenis hodieque oppidò recentia putantur: qui ad ædem S. Luciaë, vbi suum & pauperes hospitium, & **IGNATIVS** sanctioris vitæ rudimentum habere, prouisunt, venerabundi, & hospitis olim sui patrociniò læti.

23. Ac ne qua locus absolefcat,
pila

pil
ris
fur
Eit

TR
IE

tur

fac

sus

qu

qu

arr

tis

cili

opu

iun

tan

na

mo

Ie

2
tud

TI

pila ibi lapidea spectatur, rei veteris elogio inscripta. Quod mihi visum Latinis hinc litteris exscribere. Eius sententia hæc efficitur:

IGNATIO LOIOLAE, BERTRAMI F. Cantabro, Societatis IESU Conditori: quem annos natum XXX. cum pro patria fortiter faceret, eodem tempore & belli iussus afflixit, & propitia salus erexit: quiq; idem tam castitatis tuenda, quam Palaestina visenda cupidus, armis Magna VIRGINI dedicatis, tunicamq; talarem, & vestem cilicinam indutus, coepit hinc rerum opumq; inops lacrymis, precibus, ieiunijs, priorem seu militiam, seu vitam damnare; hoc marmor, ob aeterna viri merita, & miranda sanctimonie exempla,

P. C.

Io. Bapt. Cardona, Valentinus
Vichi Ep. & Tort. electus.

24. Ab eâ, quam diximus, ægritudine nondum planè se IGNATIVS collegerat, cum reputare apud

apud animum suum institit, quî in consuetudinem, vi morbi intermissam, postliminiò rediret; pergeretque in corpore exercendo pericula vilia habere.

25. Sed ingentibus animis vires obnuntiabant. Nam continuò eandem inualetudine secundum tertiumque pessum datus, atque à stomachi presertim iniurijs miserè impeditus, cedere demum insultanti fortunæ cogitur: & quod dudum monuere amici, vt mitius in corpus suum ipse consuleret, exoratus, in eorû auctoritate futurum se ostendit.

Ita corpori tegendo ac defendendo frigori, duplices, rudi opere, & colore Veneto, tunicas admisit: indidem & cucullum, capitis vile tegmen, recepit. Dubitasset, vestimêto se ille, an ludibrio magis induisset.

IGNATIÏ iter Romam, & Ierosolymam. C A P. I V.

26. **P**ROXIME annum in eo iam Poppido IGNATIVS substiterat, cum interea loci opportunum

num credidit, si desiderium Palæ-
stinæ, quo se ardere sentiebat, per-
sequeretur. Re deliberatâ, excedit
Manresâ, & Barcinonem (priscis
Fauentinam) solus proficiscitur:
comites, qui se multi obtulerant si-
bi, diuina cogitabundo, neque in
humanâ ope nitenti, haud magno-
pere necessarios ratus. Simul eò
peruenit, vrbis templum ingredi-
tur: atque ibi dum verba ex more
ad populum fiunt, inter puerorum
stationem, aduena sub aræ gradi-
bus adsidet.

27. Aderat commodè & primi
nominis femina, Isabella Rosella.
Ea hominem peregrinum non uti-
que eum esse, quem se ferret, suspi-
cata, insolitò mouebatur. Nam,
quod multò post ipsa Ribadenei-
ræ commemorauit, I G N A T I I sen-
sit ora tunc radiare; seque intimè
percelli, ac velut vocem humanâ
occultiorem accipere, quâ accire
hominem iuberetur. Obsecuta ma-
iori imperio mulier, curat hospitem
dimissâ concione ad se inuitari,
suoque

ſuoque illum prandio adhiberi ;
quòd eam rem ſibi volenti eſſe,
maritus , vir nobilis , oſtendebat.
Hic opportunè tantâ vi de rebus
diuiniſ, deque cęleſtium amo-
re diſſeruit IGNATIUS , vt inter
modeſtiam eius ardoremque , ad
omnia dicentis verba vehementer
obſtupefcerent.

28. Hęc eadem Iſabella, quòd
cum Nauarcho conueniſſe iam
compererat, vt profecturus hoſpes
lembulum ingrederetur, magnope-
rè diſſuaſit, tamquam futuri certa.
Quippe is phaſelus breuî poſt in
portu, inque ciuium ore, fluctibus
hauſtus , interiit ; tracturus in cla-
dem & IGNATIUM, niſi conuen-
tæ morti femina interceſſiſſet. At
ille grandiori nauigio vectus , ſe-
cundâ tempeſtate quinto poſt die
quàm Barcinone ſoluerat , Caietam
appellitur : cùm itinere toto
nihil de conſuetâ viuendi ratione
mutaſſet , ſed perpetuus illi fermo
vel cum Deo, vel de Deo fuiſſet :
quo vectores ita pleroſque rapuit,

vt non aliter illum, quàm SAN-
CTVM propalàm nominarint:
quod quidem ei nomen iam antè
& Manresæ, ac pòst etiam Barci-
none, ceu proprium apud indige-
nas hæserat. Inde Romam magnis
itinerum difficultatibus contendit.

29. Vfus enim venerat, vt sub
illum fortè annum, qui post sesqui
millesimum tertius & vigesimus
numerabatur, Italiam pestilentia
passim laceraret; finesque omnes
arctis custodijs seruarentur. Qui-
bus proinde rebus fiebat, ne quàm
mœnibus receptus, curare corpus
aliquando, aut stipem orare posset:
sed ibi demum famelicus ac fati-
gatus cubile caperet, vbi deficien-
tem nox oppressisset. Eo tempore
Caietam inter ac Romam, æstiuam
militum erant; simul militaris, quæ
plerumque solet, licentia. Et illac
transiens IGNATIVS, haud ob-
scure sensit, aliquos malo consilio
facinus atrox, ac nescio quid im-
memorable, moliri. Exarsit vehe-
menter IGNATIVS; &, quòd in

co verti agique honorem DEI crederet, coepit è longinquo, quantâ maximâ voce licuit, exclamare, vt facinorosos ab incepto nefario deterreret. Valuit inermis clamor: & quos ducum imperia minaque non tenuissent, Viator seminudus in potestate habuit; vsque eò, vt infectâ re, ab opere tentato confestim diffugerint. De cælo tactos veriùs, quàm voce hominis increpitos, autumasses.

31. Tenuit ægrè tandem propositum, Romamque perlatus, piè ad summa vrbis templa supplicare, & sacra deuenerari religiosè studuit. Pòst etiam impertitis ab Adriano VI. precibus, cum dies non plus quindecim in Vrbe remansisset, maturauit proficisci. Etsi autem fuere multi, quibus consultum non videbatur, vt id temporis homo omnium, rerum iuxtâ ac virium, egens, cum fortunâ tam malignâ maritimam expeditionem moliretur: abstineri tamen haud potuit, quin perseueraret. Ita abire obstinato,

nato, circiter octo numos aureos amici in nauum obtulere.

32. Quibus ille, ceu temerè acceptis, mox sollicitari animum persensit: & arbitratus haud decere, vt quæsita paupertas peculium haberet, eosdem occurrentibus in viâ mendiculis dispertit. Exinde cupidus vltima rursum experiri, Venetias petit. In quo itinere nullis plerumque tectis acceptus, sub dio decubare; adhæc obuij hominem ignotum palloreque exsanguem, ac macie deformatum prospectro fugere, & mortis simulacrum auersari, nusquam in comitatum admittere: verùm ab humana consuetudine exclusum, non etiam cælestia deseruere.

33. Iam à Fossâ Clodiâ (Venetorum oppido, quod Clugias vocarunt) Patauium ibat, cum in aperto planoque æquore, se cium illi se Christus addidit: sui que spectaculo suauissimè delibutum, ad grauiam quondam perpetienda confirmauit. Ita letitijs omnibus perfusus,

Patauium venit: aditu, quod in eâ locorum custodiâ vix speres, nusquam impedito.

34. Venetias inde mouit: vbi Caroli Cæsaris Legatum reperit; ciuem quidem suum, & à se minimè alienum; eum tamen appellandum sibi non putauit, ne quem ab homine fauorem nundinari videretur; diuino contentus. In vrbe, nouæ de integro difficultates decretam profectionem eludere conatæ. Nam inter multa, & nuper capta à Turcis Rhodus memorabatur, auspicijs Solimanni, nostrâ tum clade felicis: & ipsemet **IGNATIVS** febrile non obscure incipiebat. Tamen nihil omnium fuit, quod animum ab incepto dimoueret. Quin eâ se esse spe ferebat, vt Ierosolymam nauigaturum certò crederet, si naus vel vnica de portu Veneto soluisset.

35. Interea verò, quoad Venetijs harere visum est, hanc sibi viuendi legem **IGNATIVS** sciuit: interdum modicum victum precario quærere;

qua
sub
ten
eo
Se
bili
pe
tiro
str
ris
ne
pe
du
ac
pr
ce
ex
da
ra
de
S.
I
eu
le
in
m
su

quærere ; noctu autem gratuitum sub cælo hospitium optare , quietemque in publico capere. Hinc res eo tempore accidit memoranda, vt Senatorij ordinis vir de primâ nobilitate, domi suæ cubans, se talibus per noctem vocibus increpari sentiret: Nempe tu inter hæc vestium stragulorumque serica, & familiaris opulentia aulæa noctem degis; neque meum interim seruulum pensi habes, qui in fori porticu nudus abnoctat. Tu mollibus plumis, ac diuite in lectulo recumbis ; illi pro culcitâ humus est, & tegetis vicem cælo operitur. Non sustinuit exprobrantis vim Senator : sed damnato confestim lectulo, prope rat cubitu surgere; metuque plenus domo egreditur, & contabundus ad S. Marci forum denique defertur. IGNATIO ibi humi reperto, & eum utique videns esse, quem cælestia vestigia prodidissent, secum in aedes perducere, lauteque & humane complexum, vehementer suspicere cœpit. Sed ille honorum fugiens,

fugiens, ab hospite nobili ad hominem Hispanum, familiariter inuitantem, diuertit.

36. Sub hæc otiosus cognoscit, profecturis necessum esse, vt, nauigij impetrandi, Andream Gritum adeant, virum eius tunc Reipub. principem. Quod cum & IGNATIVS fecisset, ita statim conuenit, vt, dato negotio, in prætoriam nauim gratis imponeretur. Eâ erat designatus insulæ Prætor in Cyprium transmissurus. Hic ecce tibi! quo ipso diei momento, feбри incommodum æstuabat, & à pharmaco fortè hausto vix etiamdum abierat, nuntiat, nauigationem properari. Medici proinde negare, rectè facturum si conscenderet, & rem periculi compertam dicere. At ille morem potiori Medico gerens, proficiscitur; & in nauim, secus quàm omnes metuerant, integrè conualescit.

37. Inter nauigandum mala facinora fiebant multa, quæ IGNATIVS, pro suo in Deum studio, libe-

liberius vindicabat, quàm vt vecto-
rum aures paterentur. Eò consti-
tuerunt nauæ illum aliqui in in-
sulâ vsquam desertâ exponere, &
clanculò incautū relinquere. Nec
longè iam à scelere meditato ab-
erant, cùm subita se procella in na-
uim intulit, magnoque illam im-
petu in altum reiecit. Ita ventis
pro IGNATIO dimicantibus, por-
tum nefarij consilij tenere ne-
quierunt.

IGNATII *studium in sacrâ Vrbe*
visendâ. CAP. V.

38. **P**ER eos dies sæpè CHRIS-
TUS illi conspicuus adfuit,
& mirificâ voluptate captum, de-
nique ad pridie Kalendas Septem-
bres in portum, & quinto pòst die
in Urbem sacram induxit, cùm
Venetijs pridie Idus Iulias disces-
sisset.

39. Hic suprà quàm credi fa-
cile possit, magnis lætitijs inundari
IGNATIVS cœpit, cùm cominus
primæ religionis rudera adspiceret,

Urbem veteribus ruinis inclytant,
ac tot prodigiorum feracem. Ibi
quoad morari licuit, assiduis gau-
dijs affluebat: & noua semper vo-
luptas erat, loca alia ex alijs obire,
eaque præsertim vestigia religiosè
venerari, quibus olim impressis, hu-
mum hanc CHRISTVS nobili-
tarat.

40. Nec verò consilium illi fuit,
inde aliquando excedere; sed om-
nem ibi de cetero vitã, cum hisce
studijs, tum traducendis ad Chri-
stum barbaris, addicere: quam-
quam, ne quas indidem gloriolas
captaret, istud velle tum quidem
dissimulabat. Re tamen alterã,
cum Præsìde loci (is erat Fran-
ciscanis Patribus Præfectus) matu-
rè deliberatã, & multis vndique
difficultatibus compertis, necesse
habuit in Hispanias redire; tum
rebus aliorsum euadentibus, eum
vitæ modum sequi, quem Deo vi-
deretur.

41. Igitur postea quàm dili-
genter omnia pieque perlustrarat,
datur

datur ex more signum profectio-
 ni : cum aduena nouis iterum cu-
 piditatibus exarsit , ad olearum
 montem reuifere , & sacrorum pe-
 dum vestigia, quæ in lapide CHRIS-
 TVS ibi destituerat , rursus con-
 templari. Quare solus repentè, ne-
 mine conscio, & quod periculi for-
 midinisque plenum erat, cum nul-
 lis Turcarum præfidijs , eodem
 postliminiò euadit ; impensè ser-
 uaturus, in quam terræ plagam im-
 pressi pedis indicia spectarent : cu-
 stodijs, quòd alia nimirum defie-
 bant, cultello forficulaque in mer-
 cedem relictâ.

24. Interim aduertitur, ex ad-
 uenis vnum IGNATIVM deside-
 rari. Tum verò Patres de eo solli-
 citi, metuere ; & idcirco nuntium,
 qui quàm primùm reduceret, sub-
 mittere. Sed & alter, è Schismate
 quidam, eius familiæ quæ à cingu-
 lo indigetatur, impendio acerbior,
 acriter hominem turbideque acci-
 piebat. Nihilo tamen ille pertur-
 bator, in CHRISTVM idemtidem

intuebatur, quem anteambulonem ad vsque cœnobij fores secutus, non modicas voluptates hauriebat.

43. Iam hiemare cœlum inceperat, & niuibus glacieque omnia circum infesta esse, cum tanto maris interuallo Italia repeteretur. Neque vlla tamen illum præsidia in hiemem muniere, nisi quod crassioris telæ femoralia, ac de simili centone thorax amiciebant: & hic quidem secundum humeros lacer; cui, decurtatæ tuniculæ lacernam tenuem, ac senio victam, superinijceret. Calceatus item, cetera crura relinquebat prorsus detecta.

IGNATII reditus in Hispanias.

C A P. V I.

44. **H**OC ornatu præparatus in Cyprum deuehitur. In Cyprio portu tres naues reperit, inde propediem soluturas, Turcorum alteram, alteram Venetorum, armamentis omnibus apprimè instructam: in quarum quidem neu-
tram

tram admitti potuit. Et Venetæ nauarchus rogatus, IGNATIVM transportaret; compertâ eius mendicitate, parum habuit negare, ni eundem insuper cauillo peteret. Eum certè, quem sibi tam prodigiosè sanctum memorent, nauigij non egere: iuberet vndas magis ancillari, & pedibus obnoxium mare perambulare. Pœnituit statim dixisse: & linguæ intemperantiam repentina nauigij clades expiavit.

45. Reiectus in hunc modum IGNATIVS, tertiam conscendit, exiguam illam, & vetustate carieque proximè fatiscentem. Eæ simul omnes in altum euectæ, ac secundis ventis in vesperum vsæ. Inde cælum omne turbari, mare furere, & naues atrocibus procellis concussæ, longè diuersissima euenta sortiri. Turcica fluctibus decumanis expugnata, & immani aquarum vortice, cum omnibus vectoribus hauita, momento subsidit. Mitiùs in Venetam sæuitum est:

ea

ea iuxta Cyprum euerſa quidem labefactaque peſſum ijt, ſed incolumem tamen turbam expoſuit.

46. Solus IGNATII lembus, quamquam malè ſartus, impunè per omnes tempeſtatis turbines euafit: ac medio circiter Ianuario, anni M. D. XXI V. ſaluis omnibus portum tenuit. Verùm ille vix pauculos dies Venetijs moratus, repetere terram Hispaniam conſtituit. Cui rei numis aliquot, crallaque panni telâ, quæ ſtomacho fouendo eſſet, in ſtipe acceptis (nam à frigore longaque nuditate vexatus, pridem laborabat) Ferrariam, Italiae urbem proficiſcitur: vbi ſuper alios alij pauperes incidere, & ſtipem de more ſtagitantes, IGNATIVM breuè omni, quam diximus, pecuniâ exuere. Ipſe dein è templo egreſſus, oſtiatim ſibi cibarium panem emendicauit.

47. Poſt abire Genuam volens, non potuit, quin à militum Hiſpanorum præſidijs conſpectus, & pro exploratore primùm comprehenſus,

ſus
inſ
cib
der
uit
Se
bel
eu
rah
I
da
du
gr
pi
ni

I

48

ni
co
lit
qu
D
in
cu

sus, indignissimè multaretur : tum infani vicem traductus, pugnis calcibusque non perfunctoriè concideretur. Quæ tanta suorum conuitia hilaris ille ferre perseuerauit. Sed Galli, quibus eâ tempestate bellum cum Hispanis acre erat, eundem postea nacti, longè liberaliùs dimiserunt : gens iterato in *IGNATIVM* beneficio memoranda. Genuam hunc in modum perductus, indidem Barcinonem, ingruentibus mari quâ hostium quâ piratarum periculis, incolumis denique traiecit.

IGNATII studium litterarium
Barcinone. CAP. VII.

48. **P**OST quàm difficili peregrinatione defunctus in Hispanias *IGNATIVS* reuertit, non fuit consilium, reliquam ætatem sine litterarum cultu degere: nempe, si quam orbi laboranti opem ferre, Deoquæ obsequium probare suum impensius vellet, intelligebat, esse cum studio virtutum, scientiarum quoque

quoque subsidia coniungēda. Proinde annos iam natus XXXIII. aggreditur, prima linguæ Romanæ elementa condiscere: eamque ob rem in disciplinam se Hieronymo Ardebalo tradidit, viro probō in paucis & humano, grandis prætextatus: cū interim ab Isabellâ, feminâ nobili, de quâ suprâ monuimus, ei benignè alimenta suppeditarentur. Hic verò non deseruit se infernus veterator: sed futuri iam sagax, magnis conatibus hoc sibi agere sumpsit, vt hæc IGNATII cœpta quàm primūm impediret. Eam ad rem conficiendam, in varia se ora idemtidem abdere, aliasque fraudes ex alijs ducere, numquam omittebat, in IGNATIVM ingeniosus. Sed ille tanto maximè in inceptis pergere; nec pati, vt stygijs aliquando laruis vllam studiorum omissionem gratificatus videretur.

49. Et verò remittere iam stomachi dolores sentiens, quibus haud pridem tenebatur, occupat
 mox

mo
 cor
 nup
 ind
 der
 leas
 ita
 app
 ret
 nis
 ftiu
 ipsa
 am
 res
 tige
 vlu
 pal
 hu
 biu
 tur
 ftit
 Hu
 sce
 cor
 TI
 tio.

Pro-
II.
na-
que
ro-
ro-
ndis
sa-
prà
enta
de-
fed
ati-
nac
um
en-
em
du-
in
ille
re;
uis
ra-
o-
us
bat
ox

mox redire ad veterem domandi
corporis rigorem; cui bello, quod
nuper instauratum secus cessisset,
inducias aliquamdiu morbus de-
derat. Cœpit igitur calceorum so-
leas quoque perforare, sensimque
ita omnes deterere, vt hiemi iam
appetenti nudis vestigijs occurre-
ret: relictâ interim summi tegmi-
nis alutâ pro eo, ac luem intempe-
stiuæ gloriolæ semper fugitabat, ne
ipsa se paupertas in sui spectaculo
amitteret. Per idem tempus duæ
res illi maximè memorabiles con-
tigerunt, quæ cum de patientiæ
vfu, tum de charitate eius mirabili,
palâm fecere. Earum est altera in
hunc ferè modum gesta.

50. Erat in suburbano cœno-
bium à sacris Virginibus habita-
tum: ANGELORVM tutelâ, & in-
stituto S. DOMINICI insigne.
Huc ruere aliqui subinde adole-
scentes, locumque vanis studijs
complere nuntiabantur. IGNA-
TIVS abolendæ consuetudinis ra-
tiones inire, idque vehementer
con-

contendere apud Virgines suscepit, ne licentiæ iuuenili porrò aditum patefacere, seseque ipsæ talium discriminum iniurijs obijcere pergerent; sed secessum, quàm noxiam familiaritatem, mallét. Remque eò constanter adduxit, vt exclusi in posterum iuuenes, cum postliminium non haberent, auctori infensi minitarentur. Qui postea quàm metu consternari hominem non posse viderunt, aliquoties illum adorti, fustibus atrociter accipiunt, easque illi plagas imponunt, quæ medicato malagmate vix curari triginta diebus potuere. Insanierunt ij quidem talia: ceterùm IGNATIVS sua nihilo magis desinebat; lætus ea fecisse, quibus pœnas improbi, præmia superi decreuissent. Sicarij certè prolapsi inter verbera conspicati, pro mortuo reliquerunt. Et moriturus in vestigio fuerat, ni vocibus intermortuis excita vicina, suppetias ijsset, agrumque, non sine cruciatu, in Ioannis Pasqualis ædes

æde
rius
veh
dici
erat
nus
cris
por
etia
tè
om
dijs
fusi
gor
pau
tri
gnis
tus
re,
vell
cæli
uifi
agr
pos
grè
fam
re:

ædes deportasset. Illic optata ve-
rius, quam sperata sanitas, amicos
vehementer sollicitabat, certè Me-
dici pro conclamato habuere: sub-
eratq; iam momentum, quo actu-
rus animam credebatur. Igitur Sa-
cris, quibus oportuit, procuratus, id
porro expectabat vt supremum
etiam vngeretur. Tum ingressa for-
tè materfamilias cubiculum vidit
omne mirificâ luce collustrari, ra-
dijs ab ipso lectulo in orbem dif-
fusis. Territa mulier insolenti ful-
gore, pedem principio retulit; sed
paullo post progressam IGNA-
TIVS, & miraculi consciam, ma-
gnis precibus adegit, ne, quod in-
tus sola conspexisset, foras prode-
re, aut hominum cuiquam narrare
vellet. Hinc veri non absimile est,
cælites ad ægrum aliquos tunc in-
uississe; eaque luce omnem corporis
ægritudinem depulisse. Nam breuî
post recuperatæ sunt vires, & inte-
grè sanitas est consecuta. Hanc ip-
sam insperata dein solatia excepe-
re: cum ij iuuenes, qui prius eum

D

nefa-

nefariè læserant, mox admirati virtutem, suumque facinus execrati, ad IGNATII pedes vltro abiecerunt sese, vitæque prioris consuetudinem, gratulante populo, emendarunt.

52. Alterum erat huiusmodi. Redibat fortè ab eodem illo cœnobio in urbem IGNATIVS, cum ex obuijs cognoscit, in propinquo tragicæ rei facinus patratû: hominem, nescioquẽ ærumnosum, (acta Lissanum nominant) vt sibi letum ipse concisceret, infami nodo corpus à cubiculi trabe suspendisse. Herciscunda cum fratre hereditas, ad restim illum adegerat. Inhorruit ad barbaram necem IGNATIVS, rectaque in ædes irrupit, & spectatâ pensili scenâ, laqueum manu properat incidere. Dilabitur ab infelici arbore cadauer: (quippe omnes mortuum conclamant) at ipse nihilominus in preces descendit, nec multò post truncum iacentem fidenter compellat; & ecce tibi, reuiuiscere continuo miser,

miser, sensibusque rursus valere, ac fungi; donec edito doloris indicio, & noxis exomologesi detersis, vitam iterum, sed opportunius, exhalaret. Quod IGNATI I facinus, rebus bene pensitatis, videri potuit ope maiori quam humana fuisse patratum: ideo confestim tota urbe divulgari coeptum, sui habuit magnam ad omnes admirationem. Mansit igitur Barcinone, non minus biennium, vir tanto natu, rudibus puerorum studiis, sed olim magnae rei futuris, intentus. Denique sub annum M. D. XXVI. auctoribus viris doctis, maiorum litterarum causa Complutum discessit.

IGNATII studia & erumna Compluti. CAP. VIII.

53. **C**OMPLUTI recens exstru-
ctum erat diuersorium a
Ludouico Antezana, gratuita pau-
perum aedes. Ibi domicilio impe-
trato, IGNATIUS de rationibus
studiorum suorum coepit cogitare:

&, amicorum non optimo consilio
 vsus, simul Logicen, omnemque
 Philosophiam, cum Theologiâ,
 apud diuersos interpretes tentare.
 Arbitrabantur illi, in rem fore,
 si compendiariâ ad disciplinarum
 metam decurreret.

54. Ipse prætereâ suoapte ductu
 in plures adhuc diuersissimi inge-
 nij res ferebatur: vt qui parum cre-
 deret, laboriosissimam in procu-
 randis litteris prouinciam, stipe as-
 fiduâ difficiliorem reddere; sed
 contendendum insuper, vt aut pue-
 ros rudimenta virtutum, ac religio-
 nis capita doceret; aut ad extre-
 mum, aliud ipse peculium corro-
 garet, quo egentiorum inopia sub-
 leuaretur. Eâ hominis virtute per-
 spectâ, fieri vix potuit, quin certa
 inter omnes admiratio inualesce-
 ret. Quæ ipsa hoc etiam vehemen-
 tius auxerat, quòd IGNATIVM
 veste viderent simplici ac plebeiâ
 contentum, nudis pedibus incede-
 re: ad hæc, in simili ferè ornatu
 tres eius commilitones spectari.

Hi

Hi
 Gal
 nitu
 inde
 fam
 nâ c
 5
 nijs
 TIC
 me
 qui
 tur,
 nes
 hab
 Ioa
 ficis
 cum
 stel
 hab
 adit
 cur
 sim
 que
 pos
 5
 sâ,
 bus

Hi erant, qui vnà cum adolescente Gallo, vt sub ipso mererent, diuinitus animum induxerant: quiq̄ue inde omnes, iocantibus Hispanis, familiare quoddam à viliori lacer-nâ cognomen sortiebantur.

55. Sed in varijs hominum ingenijs, affectus, alijs aliud de IGNA-TIO sentiendi loquendiq̄ue argumentum ministrabat. Ex his fuere, qui, quòd nouitas omnis timere-tur, necessarium dicerent, quæstio-nes super scitis ac moribus ipsius haberi. Quæsitorem placuit esse Ioannem Figueroam, qui Ponti-ficis tum Toletani vicem summâ cum potestate curabat: post Ca-stellani Regio consilio Præfectum habuere. Is nauiter prouinciam adit, omnesq̄ue IGNATI rationes curiosâ diligentiam scrutatus, nouis-simè reperit, neque rem esse, ne-que vocem, quam notare censura posset.

56. Eius tamen experiundi cau-sâ, aliquid purgandis suspicioni-bus concessum est, vt in carcerem

D 3

postea

54 S. IGNATII VITA.

postea datus, ipsos duos & quadraginta dies detineretur. Quod magna ille quidem hilaritate tolerabat, ut qui innoxium se ipse sciret; dudumque appetisset, CHRISTO suum in ferendis iniurijs amorem approbare. At multi tamen erant haud infimo loco viri, qui suam se illi operam gratificaturos ostendebant; prompti, si qua cuperet, vinculis eum liberare. Quibus id ille permissurum se audacter negabat: neque, si suam ipsius procurare causam vellent, concessurum: nullo eum patrono indigere existimans, quem iudex animus absolvisset: tum etiam, quod a Magistratu doceri percupiebat, an qua forte inscius deerrasset; facilis sequi, si ad meliora duceretur.

57. Causa diu ampliata, Vicarius denique innocentem IGNATIVM renuntiat; ac publicam sententiam adversus calumniam latam, simul illum sociosque custodiam educit. Humano iudice defensam innocentiam, mox tribunal etiam caeleste

caele
qua
IGN
sole
mu
dat
Luc
con
TIC
con
rat
pri
nu
la

ad
rei
tu
fus
ha
ra
fla
T
la
vo
co
fa

cæleste vindicauit. Postea enim quàm de carcere exijt, mandatum IGNATIO est, vt abiectâ vestis insolentiâ, habitu cum ceteris communi vteretur. Atque in eam rem datum negotium cuidam Ioanni Lucenæ (viro ad hoc genus officia consuefacto) qui vestiendo IGNATIO, de quæsitâ stipe pecuniam conficeret. Verùm vsus ita venerat, vt ambobus ad ædes quasdam primarias delatis, magna vis hominum se ostenderet, qui tunc ad pilæ ludicrum otiosi intendebant.

58. Ibi homo Nobilis (nomen adscribere parcimus) cognito cui rei adessent, vehementer sanè conturbatur; & ad Ioannem conuersus; Et cur tu, inquit, eo loco vir, hanc talem cogere stipem perseueras? malè ego dispeream, & vel flammis ardeam, nisi istic (IGNATIVM aiebat) flammis est vstulandus. Attonuit præsentem acerbior vox, quibus IGNATII honestas incomperto erat. Atqui haud diu cessatum est, & eodem ipso die nun-

tius affertur, natum Hispanis esse Principem. Excitauit ea nouitas ciuium animos, vt festo apparatus sua pro se quisque gaudia testari conarentur.

59. Inter quos etiam Nobilis ille, de quo memoramus, applaudere regno cupiens, properat editam domus turrim conscendere. Illic improvidus flammæ scintillam excudit; quæ ad vicinam nitrati pulueris custodiam perlata, in insperatum incendium repente euasit, hominemque eluctantibus flammis comprehensum, miserri-
mè peremit. Censuerant id non fortuito factum, sed offensum luculento conuitio Numen, despecti IGNATII pœnas sumpsisse. Cœpit exinde contemptæ virtutis fama valescere. Sed re postmodum, vt acciderat, vulgatâ, grauius indoluit IGNATIVS, & obortis lacrymis, Hoc manè, inquit, ipse has sibi infelix Vates exsequias prædixit.

IGNA-

IGN

60.

letum

cum

Tol

nign

gend

cam

polli

fectu

mori

dia

quæ

ritat

iteru

atqu

dinis

nou

rere

mou

ti, co

tutis

6

gista

IGNATII studia & arumna Sal-
mantica. CAP. IX.

60. CETERVM Compluto dis-
cessurus, instituit Valliso-
letum ex negotio petere, quod
cum Alphonso Fonseca, Antistite
Toletano, conficeret. Hic cum be-
nignè complexus, & re, cuius a-
gendæ venerat, effectâ, Salmanti-
cam cum viatico, inter opportunis
pollicitationes dimittit. Eò pro-
fectus, continuò cœpit more suo
mortales quosque ad virtutum stu-
dia perlicere, illaque eadem agere,
quæ alibi visa iam erant in familia-
ritatem vertisse. Quapropter paucis
iterùm diebus increbescere rumor,
atque IGNATIVM ad omnis or-
dinis homines differre: qui & rei
novitate & mali metu exciti, accur-
rere; deque dicentis libertate, & in-
mouendis animis facultate sollici-
ti, cogitare, ne quod virus in eo vir-
tutis schemate tegeretur.

61. Re omni nouissimè ad Ma-
gistratum delatâ, hoc facilè profi-

D 5 ciunt,

ciunt, vt iniectis catenis ipse ac socius arctissimè colligati, nusquam possent ab altero alter diuertere. Dies duos & viginti tenuit is carcer: cum nihilo intereà minor ad illum concursus fieri, & ipse in vitia liberè pro virtutibus dicere, verbisque omnes ad honesta accendere perrexit: tantis occupatus gaudijs, vt patiendi cupidior, ijs succensuerit, quibus ideò se esse miserabilem videret: confessus, eos ignorare, quas carcer, quasque alia damna delicias innocentibus parturirent. Per eosdem dies annum, & si quid aliud captiuis opus erat, aliqui ciuium vbertim suppeditabant. Sed neque à quæstionibus habendis cessatum fuit: quæ tamen ipsæ quò diutiùs acriusque exercitæ, eò sublimiùs innocentiam euexere. Et euenerat tunc, vt forte quadam effractus carcer, captiuis patefecerit viam. Nec omisere ceteri, quin fortunâ mox vterentur. In libertatem elapsi clam omnes; quod per sententiam nequierant, per

per f
stera
ac va
Soci
mici
gam
hoc
conf
dice
mira
font
clan
6
que
ban
que
TIV
Cof
dis
nir
que
reb
vt
tur
tem
gna
tur

per fugam seipſi abſoluerunt. Poſtera dies carcerem æquè apertum ac vacuum oſtendit. Solus ibi cum Socio IGNATIVS, tresque eius amici, quos eadem inuitare ad fugam occaſio potuerat, reſtitere: vel hoc argumento docturi, quibus conſcientia patrocinetur, eos à Iudice carcereque non timere. Admirata factum inſigne ciuitas, inſontes haud dubio conſenſu proclamauit.

62. Ad extremum Magiſtratus, quem Baccalaureum Friam dicebant, cognitæ virtuti innocentiaque teſtis è iudice factus, IGNATIVM Sociumque probos eſſe doctosque homines affirmat: & fraudis ſcelerisque obiecti puros, ex animi ſui ſententiâ, pronuntiat. Atque ita vinculis eximuntur. Apparebat pridem huc ſpectare DEVM, vt IGNATIVS per hos fortunæ turbines duratus, decumanas olim tempeſtates ſuperare, & vel pugnantibus ventis nauim ad portum, quem ipſi DEVS edixiſſet, appel-

appellere condisceret. Nam & ingentibus illum animis impleuit, & crescente desiderio accensum, ad Socios scribendos impulit, qui cum ipso vniuersi in subsidijs essent, dum ad communem laborantis mundi opem ducerentur.

IGNATII studia & arumna
Parisiis. CAP. X.

63. **I**NDE cupiditas inuasit Lutetiam ire; urbem Parisiorum à litteris apprimè celebrem, & Musarum vetustissimam sedem: idque consilium quâ constantiâ cepit, ita retinuit vt obnitentibus multis, & immania damna, viæque incommoda prædicantibus, eripi tamen hanc sibi mentem nunquam pateretur. Hi, temporis cælique inclementiam proponere: hi, loci hiemes, & anni frigora memorare: tum deinde funestum Gallos inter Hispanosque bellum, & iam mutuis cladibus geri cœptum: rursus terricula, quibus itinera forent septa, ostendere: adductis

com-

compluribus barbaræ crudelitatis exemplis, quæ in viatores nuper edita ferebantur. Ad quæ omnia IGNATIVS quàm interritus esset, vultu verbisque demonstravit, doctus, si quò diuinitus mitteretur, pacem inter arma, in periculis securitatem, ipsisque in laboribus otium sperare. Secundùm hæc, cum bono Deo in Galliam transijt, itinere pedestri, atque anno M. D. XXVIII. Parisios incolumis peruenit.

64. Iam alibi senserat, properatas studiorum spes secus euenisse: neque damnum, nisi nouo incepto, corrigi posse. Igitur Parisijs prius iustitit ad humaniores litteras per biennium incumbere, quàm grauioribus initiaretur; tum deinde Philosophiæ operam diligentem triennio nauare. Vbi quidem tantos progressus fecit, quantos vel Præses ipse iudicaret, ad honorem Magistri petendum, idoneos. Quem locum ille, quò luculentius doctrinæ testimonium ad ceteros iuuan-

dos

dos perferret, non repudiauit. Postmodò se diuinis etiam litteris dedit formandum: nec sine Numine. Nam, etsi litterarios labores, credi vix potest, quæ incommoda exceperint; tamen hominem non fregere. Primum illi domicilium, locus fuit hospitalis, à S. Iacobo dictus; sed extrà, & ostiatim victum rogabat. Coactus inde triennio idemdem ad Belgas excurrere, inque Britanniam trajicere: vnde annuo com meatu ab Hispanis institoribus collecto, egestatis iniurias toleraret. Accedebant assidua corporis & asperrimæ vexationes: quibus vel solis labefactarum vires etiam integræ potuere. Quod quidem non diu post euenit, quando, ne vita prorsus amitteretur, necesse habuit, aliquamdiu scholas omittere. Rursus lacerebant illum aliæ item curæ: quibus anxius, alienæ salutis consultum cupiebat. Denique acerbis multorum odijs appetitus, vehementer iactabatur. Operæ pretium fit,

fit
rall
... e
pus
& i
em
mo
auf
spa
nec
pra
do
Qu
cta
tra
ha
nes
Ea
vel
qui
lun
mi
no
val
qu
bal
tin

fit, tempeſtatis eius initia memo-
raſſe.

65. Spectabantur per idem tem-
pus adoleſcentes aliqui Nobiles,
& ingenuis opibus clari; quos ex-
emplum **IGNATII** inſigne ad res
mortales abdicandas exciuerat. Hi
auſi ſimul fortunas ſuas in egenos
ſpargere, ſimul egere ipſi, ac vitæ
neceſſaria cum mendicis petere:
prætereà lautitijs publica Xeno-
dochia, vbi degerent, præferre.
Quod illorum factum, vt in ſpe-
ctaculum pleramque ciuitatem at-
traxit, ita parentibus amicisque
haud magnoperè probabatur. Nec
neſciebant, **IGNATIUM** mouiſſe.
Eapropter illum aggrediuntur: ac
velut in mali auctorem, concepta
quilibet odia euomunt, falſis que il-
lum commentis criminantur. No-
minatim verò adoleſcens **Hiſpani**
nominis, qui hoc itè conſilio uſus,
valere humana iuſſerat, animos
quorundam vehementiùs pertur-
babat. Præter quem & alij paula-
tim ad optimos mores, & crebram
quà

quà SACRAMENTORVM, quà precum consuetudinem, ab IGNATIO erudiebantur. Harum rerum impatientes ij, quos dixi, conspirant. Parisijs S. Barbaræ Collegium est: ibi faba cudebatur.

66. Supplicium quippe est acre, & vel extremis Scholasticorum facinoribus inuentum; quo obseratis Collegij foribus, ad æris campani motum, discipuli glomeratim omnes accurrunt; stant Magistri, & singulis virgarum fascibus infensi minantur; inque vnam gymnasij turbelam fenerissimè omnes animaduertunt. Facies loci formidolosa, & ad sanciendo mores puniendoque peropportuna. Conueniat igitur hac supplicij infamiâ IGNATIVM notare. Enimuerò IGNATIVS funestæ rei haud ignarus, locum in it, aduersus metum constans, & si res posceret, appetentior iniuriæ ferendæ, quàm aduersarij erant faciendæ. Sed occurrebat impauido, non id nimirum agi, vt per ignominiam hanc ipse
petere-

pet
dol
te,
uer
tur
uel
loc
fui
suâ
qui
offi
si p
in
xit
qua
cul
mo
hor
pre
Ibi
tiar
ciss
sup
Qu
tun
hab

peteretur: esse teneram suorum indolem, qui iactâ virtutum semente, nondum ad maturitatem peruenierint: eos utique in flore perituros, si hac odiorum procellâ conuellerentur. Ob has causas placuit loci Rectorem adire. Ibi eum, quid sui iudicij sit, docet. Non se iniuriâ suâ, sed aliorum iacturâ moueri, quibus hæc famæ suæ lacuna mox officeret: sed eam tamen ipsam si porrò negligendam ille duceret, in se, quoad videretur, sæuiret. Dixit hæc atque alia **IGNATIUS**, quæ tempus monebat.

67. At Rector insolitâ vi percussus, principio stupere; mox animo in obsequium flexo, virtutem hominis amare. Simul amicè comprehensum in publicum perducit. Ibi copiosè modestiam innocentiamque prædicat: & quem atrocissimæ laniæ deuouerat, ab eo supplex vesaniæ suæ veniam rogat. Quæ res mirè valuit, ad insperatum **IGNATII** honorem. Nam haberi inde, ac coli, Parisijs pro

E Sancto

Sancto incepit. Adeo quæ infamiæ scena struebatur, ea in gloriæ virtutisq̃ue theatrum vno momento euasit.

68. Iacobus hic Goueanus (id Rectori nomen erat) gente Lusitanus, vir egregiè doctus, ac cetera pius, pluribus deinde beneficijs vnam hanc noxiam pensauit: certè IGNATII eum Sociorumq̃ue singularis postmodò amor tenuit; pæneq̃ue principem sibi auctorem Ioannes Rex habuit, Societatis in Orientem Indiam deducendæ. Ut proinde amplissimæ colonix latissimus prouentus, tantulæ rei principijs propè omnis debeatur.

69. Sed non potuere ceterorum odia vnâ iniuriâ satiari. Pergunt cœptas aduersus insontem calumnias pertexere, & rem eò demum adduxere, vt IGNATIUS impietatis deferretur. Sacras eo tempore quæstiones exercebat Magister Oræus, grauis è S. Dominici familiâ Theologus. Apud quem cum IGNATII causâ perorata fuisset,

vsque

usque adeo falsa esse crimina ac
 nulla constitit, ut eius innocentiam
 doctrinamque ipse iudex publicis
 tabulis sumpserit defendere. Qui
 & cum sibi libellum, quem Man-
 resæ factum docuimus, petijt: at-
 que, si cum bonâ veniâ posset, ex-
 scripturum se ostendit. Ita ple-
 rumque, quos agere aduersarij in
 IGNATII perniciem properabant,
 DEVS in improuisos ipsi paternos
 vertit. Nam idem hic Oraus, cum
 diu post nouis Romæ fluctibus So-
 cij voluerentur, opportunus adfuit,
 &, quod infra monstrabimus, pro
 IGNATIO grauissimum testimo-
 nium dixit.

IGNATIVS *Socios scribit.*

CAP. XI.

70. ANGEBATVR iam pridem
 IGNATIVS: &, si quæ
 sibi auxilia contraheret, laborabat,
 quibus ad ceterorum salutem im-
 pensius niteretur. Igitur cœpit ad
 Socios sibi adiungendos animum
 intendere, inuenes aliquot spectato

E 2

inge-

ingenio, nec eos à fanis consilijs alienos. Vfus sollerti censurâ, nanciscitur primum omnium Petrum Fabrum, in Allobrogibus natum, virum suis postea virtutibus magnum: mox Franciscum Xaue- rium, gente Nauarrum; inde Iacobum Lainem Seguntinum: dignos Magistro discipulos, & hunc Europæ, Indiæ illum, vtrumque Ecclesiæ conspicuos. Tum deinde alij super alios accessere, Alphonsus Salmeron, Toletò oriundus; Simon Rodericus, è Lusitaniâ, & Nicolaus Bobadilla, Palentiâ profecti. Paulò post secuti tres alij, præclara priorum appendix, Claudius Iaius, Allobrox, Ioannes Colurius, Delphinus; Paschasius Broëttus, Ambianensis: prima Sociorum decas, tot propediem chiliadas paritura. In quibus quâ sanguine quâ gente diuersissimis, mirum erat nihil diuersi apparere: ea vincula fuere animorum. Ita quo tempore Hispania Galliaque hostilibus odijs dissidebant, Hispani Gal-

Ga
tate
tium
diu
7
diu
su,
alic
Te
(M
in
qu
vo
na
de
im
qu
ce
tra
tu
tri
na
re.
Le
ci
m
ce

Galli que iuuenes æternam societatem coiere. Hi erant omnes artium bonarum Magistri, & litteris diuinis omnibus iuxta docti.

71. Igitur postea quàm in medium consuluerunt, placuit consensu, ad xviii. Kalendas Septemb. aliqua legibus inter se sancire. Templum in suburbano visitur (Montem Martyrum dicunt) illic in secessu, animis confessione atque Eucharistiâ lustratis, incipiunt voti sacramento paupertatem æternam singuli nuncupare; seseque defendendis animorum periculis impendere: tum in Palæstinam, quâ primâ posset expeditione, ducere; aut, si amplius annum vel trajcere vel ibi degere prohiberentur, in Pontificis Romani arbitrium denique ac potestatem, pro nauandâ Ecclesiæ operâ, transferre. Voto ritè signato, conuenit, **IGNATIVM** in Hispanias proficisci, & quedam ibi Sociorum momenta, resque alias, in Dei cultum cessuras, accurare: confecto post

70 S. IGNATII VITA.
negotio Venetias repetere, & id lo-
corum Socios, qui litterarum studia
propediem finiissent, præstolari.

IGNATII *postremum iter in Hi-*
spanias. CAP. XII.

72. CUM huiuscemodi manda-
tis discedit IGNATIVS, &
breuî post in patriam ingreditur:
sed ad fratrem, domus illustris prin-
cipem, noluit neque diuertere, ne-
que ab eo rerum necessariorum
quidquam petere: tametsi nihil nec
officij nec ingenij prætermiserit
frater, quò eum cognatas in ædes
pertraheret. Sed irritum id omne
studium fuit. Maiori violentiâ pu-
gnarunt matronæ, quas honestissi-
mas aut sanguis illi, aut affinitas
coniunxerat. Eæ cum actum agere
se viderent, quòd vulgarias preces
miscuissent; nouis molitionibus
hospitem adortæ, in genua simul
omnes procumbunt, perque Chri-
sti amorem, vt ad fraternas ædes di-
uertat, obtestantur. Labefactus hac
machinâ hospes, hætenus succu-
buit,

buit, vt eius, per quem obsecras-
sent, amore, venturum se diceret;
nec fefellit. Inter primas faces ad-
est, ecce, **IGNATIVS**: & repudia-
tis, quæ domus pararat, obsequijs,
familiam prolixo pioque collo-
quio ad amorem rerum cælestium
hortatur. Inde perductus in cubi-
culum, noctem vniuersam inter
preces exigit. Post verò, vt primum
diei diluculum fuit, in salutato fra-
tre, & insciente familiâ, digressus;
numquam deinde, vt regrederetur,
potuit exorari: sed Xenodochio
publico receptus, perseueravit ex
more stipem ostiatum, quoad in
patriâ mansit, corrogare.

73. Ibidem & puëris Christianæ
rei rudimenta tradere; perque heb-
domadem ter instituit pro concio-
ne cum populo agere. Nam hîc
ultra ad **IGNATIVM** omnibus
vijs accurrere, & frequens adesse;
adeò vt in camporum aperta fue-
rint educendi, quòd templorum
angustijs arcerentur. Vbi non pau-
ci fuere, qui inscensis arboribus,

opportunum eius audiendi locum captarent. Quæ verò res miraculi speciem non obscuram habuit: cum febrî conflictabatur per id tempus IGNATIVS, & cetera valdè debilis, languebat: concionantis tamen oratio vltra passus trecentos syllabatim ac clarè accipiebatur. Valuerunt illiusmodi orationes aduersus crebra vitia, quæ vulgò inuasferant. Denique rebus ibi pluribus, cum pauperum aliorumque bono, constitutis, patriam rursus excedit. Secuta eum est admiratio apud ciues ingens, & mirificæ virtutis superstes fama.

74. Quippe satis constat, in ijs partibus hominem comitali morbo annos complures ægrum, eius ope conualuisse. Ibi feminam prætereà honestam, quæ lentâ phthisi tabescebat, viribus restituit: & aliam malo dæmone agitatum, obsidione exemit. Ibidem in hospitali cubiculo, cum aliquando sermonem de diuinis in plusculam noctem protraxisset, monendi fuerunt

runt amici, vt, qui tamdiu ab vnius ore pependissent, secedere demum vellent. Et abeuntibus ijs, dederat in mandatis **IGNATIVS**, lucernæ lumen, quod aderat, restinguere. Institerunt illi, sineret imò ardere: nam lumine id noctis opus esse. Rursum **IGNATIVS**; restinguerent modò: **DEVM**, quamquam obscurâ nocte, sufficere lumen, vbi res posceret, abundè posse. Factum; amici restinctâ lucernâ discedunt. Sed longo post interuallo, ecce tibi voces & gemitus. His ijsdem exciti, accurrunt, visum, ecquid opis hospes postulet? Reperiunt locum vndiq; omnem splendoribus plusquam diurnis coruscantem: ipsum verò **IGNATIVM** precibus intereà impensè operantem. Quos ille, cum rei spectaculo stupefactos aduertisset, tum quidem discedere iussos, sequenti luce per omnia iura obtestatus, rogabat, ne noctis eius factam apud mortales mentionem vellent.

75. Hæc omnia in famam mi-

E 5

raculi

raculi percrebuerunt, vt certatim multi in vestem IGNATII inuadere, tactuque religioso, ceu Sanctum, colere laborarint. Discessit inde nullo nec Socio nec viatico subleuatus; & mendicitate, quam numquam deserat, velut à longis delicijs reuocatâ, Pompeiopolim peruenit: inde Almazanum, post Seguntum Toletumque petijt, vbi data Sociorum mandata exsequeretur. Conscenso prope Valentiam nauigio, in Italiam intendit: ac multis iterum tempestatibus iactatus, postremò ad condictum, Venetias appellitur, ibi Socios præstolaturus.

IGNATIO quid Venetijs euenerit.

C A P. X I I I.

76. **V**ERVM dudum apud inferos pro hoste habitus IGNATIVS, eorum inuidiâ, res Venetijs fanè inquietas nanciscitur. Nam odio agitati quidam, luculentis illum calumnijs de integro incessunt. Profugum ex Hispanijs

nijs cessisse, & deserto utique vadi-
monio pœnas mali facinoris me-
tuisse; certè statuatam eius solemnem
cum deuotione combustam, succi-
daneam pro ipso hostiam arsisse:
Quæque alia hoc genus animus
malus, & pessimi semper consilij
auctor, mendaci linguâ effutiebatur.
Sed ea ex vano hausta, eodem re-
diere; postquam eius integritas gra-
uissimo teste Hieronymo Verulo
defensa est: quem virum ex Rosa-
no Antistite, Pontificisq̃ Lega-
to, postea Purpuratorum Patrum
Collegium cooptauit. Interim do-
nec Socij eodem cogentur, in-
stitit IGNATIVS viros sibi doctos
pioſq̃ adiungere, atque primarijs
eius Reipub. Senatoribus se insi-
nuare, quibus ad virtutem semina
relinqueret. Eo effecit, vt breuî
apud plerosq̃ omnes gratissimi
nominis memoriam cõsequeretur.

77. Annus iam septimus & tri-
gesimus ultra millesimum quin-
gentesimum cœperat, cum ante
VI. Idus Ianuar. expectati ad

IGNA-

IGNATIVUM Socij peruenere: in-
 comodo anni tempore vfi, & si-
 mul viæ malignitate, simul lon-
 ginitate exerciti. Ad primum
 adfectum omnes in complexus
 mutuos iere, fuauiffimo fenfu deli-
 buti: ac mox in ædes hospitales
 alij aliàs dimiffi, fuis quifque in
 pauperes obfequijs experiundi:
 tantisper, dum dies Romanæ pro-
 fectioni conftitueretur. Ea vbi ap-
 petijt, vnà omnes accingere fele,
 cum extremâ rurfus inopiâ con-
 grefluri. Nam pedestris itineris
 difficultas, tum quærendâ ftipe,
 tum perpetuo ieiunio (vernum id
 erat) haud modicè crefcebat. Ro-
 mæ apud Pontificem Paulum III.
 oratâ in Palæftinam transmittendi
 copiâ, eaque datâ, cum lætis omi-
 nibus digrefli, denuò inter vlti-
 mam egeftatem Venetias reuer-
 tuntur, vbi eos IGNATIVVS oppe-
 riatur. Hic ad natalem B. Bapti-
 ftæ facti, qui nondum
 fuerant; & corporis prius animique
 caftimoniam, & vitæ paupertatem,
 votis

votis apud Legatum Pontificium editis, sunt professi.

78. Sed quòd in Palæstinam id temporis, nulla navis soluebat, coguntur anni spatium morari, prout sacramento inter se receperant: illud ne qua desidia otiove contere-
rent, per oppida Prouinciæ Vene-
tæ in statiuâ discessere. Ac ceteris,
quò quemque visum est, dimissis,
IGNATIVS cum Fabio & Laine
Vicentiam optauit. Ibi dies 40. in
suburbano incoluit, repertâ adiculâ
malè sartâ, vndis ventisque obno-
xiâ, & desertâ prorsus ac vastâ,
quam denique veterem capulum
dicere, quàm domum, malles. In
ijs postea vestigijs Capuccini Pa-
tres suum sibi cœnobium condi-
dere. Ceterùm sub illo tunc domi-
cilio noctes suas degebant, solo pa-
leis constrato. Lautitias habuerunt
panem mucidum ac durum; cuius
frustilla ægrè collecta, aquâ prius
erant aliquamdiu domanda, quàm
facile mandi possent. Pòst ergo
quàm nulla se nauigandi spes
osten-

ostenderat, abiecto demum expeditionis transmarinæ consilio, ad Italiae frequentissimas quasque Academias conuertuntur. In eâ fortitione obuencit IGNATIO, cum duobus, quos dixi, Socijs, Roma prouincia. Et nimirum huc ducebat DEVS, vbi opportunè nascentis Societatis cunabula ponerentur. Neque enim fortuitum fuit, quòd ex annis haud minus triginta tribus, illo tunc vno, nulla decerneretur in Palæstinam nauigatio, quo illi excedere terrâ Italiâ cogitabât.

IGNATII *iter Romam.*

CAP. XIV.

79. **A**T IGNATIVS Sacerdos inauguratus, dum diu molitur, qui rectissimè ad primam litationem sese appararet, anni spatium consumit, id intereà vnum assiduè precatus, vt summæ Virginis patrociniò iuuaretur: illam caelestioris vitæ ianuam esse, illam inter DEVM hominesque sequestram.

stram. Curaret proin Mater, vt Filium, pro eo quàm sanè mereretur, diligere cliens colereque posset: porrò eadem pergeret, in graminissimo sibi negotio, vires animumque sufficere. Inter hæc fermè studia duravit, donec Romam proficisceretur, itinere pedestri, & cum mendicantis fortunæ apparatu. Quotidie per iter epulum Eucharisticum ab operante Socio repetebat, manantibus copiosè gaudijs, & cælo vberes delicias affundente.

80. Proximè urbem, Socijs fortè in viâ subsistentibus, vsuuenit, vt solus in ædiculam desertam secederet. Ibi cum in precibus animus vehementer exarsisset, cælesti quadam voluptate raptus, vidit illicò audijtque rem mirificè iucundam.

PATER enim æternus, coruscâ nube circumfusus, CHRISTO Filio, propter assistenti, crucemque in humeris gestanti, IGNATIVM ac Socios suauissimè commendabat, eique illos singulatim velut emancipatos cupiebat. Visus est annuere

Paren-

Parenti Filius, atque eos in clientelam recipere sese ostendit: mox viam cum cruce ad IGNATIVUM conuersus, ore suauitatis amorisque pleno, EGO VOBIS, inquit, ROMAE PROPITIUS ERO. Attulit id ostentum IGNATIO haud dubiam vim gaudiorum: quo etiam Socijs commemorato, illis ad pericula laboresque obeundos noua, quod par erat, alacritas incessit. Ex eo die, mirum est quam inhaerit animo nomen IESV. Illuc IGNATIVUS, vt in ducem vitae; illuc assidue, vt in exemplum ferendae crucis adspicere: in idem Religioni suae constituit titulum figere. Nec pugnauit illius desiderio Pontifex, sed eam breui post SOCIETATEM IESV inscripsit.

Romae fundata Societas IESV.

CAP. XV.

81. **P**RIVS tamen superanda IGNATIO ingens tempestas erat, quae Romae illum odijs
&

& iniurijs iuxta atque atrocissime vexabat. Eam conciuerat homo veterator, qui in Vrbe tunc Concionator agebat; iam ipse scitis hæreseon corruptus, aliosque secum in præceptis trahere fraudulentè ingressus. Ceterum huic hominis vesaniæ resistere nostri, & ex aduerso stationem tenere ausi, proximè vltimum discrimen adducuntur: & nisi in tempore Iudices ij ipsi prodijissent, apud quos olim accusata IGNATII innocentia, absolutaque iam fuerat, Societas in suis etiam dum incunabulis plagam luculentam accepisset. Sed horum, quos diximus auctoritas, & deprehensa hostium calumnia, perpulerunt Magistratum, vti ex Pontificis decreto contra aduersarios pronuntiaret.

82. Interim negotium tribus Cardinalibus datur, viderent, an tollere nascentem IGNATII partum placeret, & ad tot Religionum familias vnus accessionem fieri. Causâ inter illos relatâ, principio

F

cipio

cipio Societas plerosque aduersos habuit. Ac Bartholomæus certè Guidicionus id laborandum impensius contendebat, non, qui nouæ iam familiæ cenderentur; sed quibus fulcris veteres, mox in ruinã ituræ, substruerentur. Ita quondam Innocentium III. in Concilio ad Lateranum coacto, decreuisse: ita Gregorium X. in Lugdunensi. Nempe, quam in suis cœptis difficultatem Dominicus olim ac Franciscus repererant, eandem oportebat & IGNATII principiis occurrere.

83. At rebus inter hos triumuiros diu agitatis, flecti tandem se vinctique Cardinalis confessus: Mihi verò, tametsi nouæ, inquit, copix haud quæuis probantur; in hac tamen Religione sciscendã, longè mihi diuersa mens est. Percellit animum vis insolens & occulta: & quò nullæ rationes pertraxere, illuc diuino me ductu ferri aduerto: iamque animo volente complector, quidquid humano
consi-

consilio præceptis antè damnaram. Inde ad Pontificem retulit, ac Societate vehementer laudatâ, pro eius instituto perquam honorificè dixit. Quo ipso dein Pontifex perlecto, sanè gavisus; **DIGITVM DEI ADESSE** palàm exclamauit: seseque iam ex modicis initijs, quantum Ecclesia fructum mox esset perceptura, præsentire. Nec longè distulit, quin Societatis leges ratas esse æternasque edicto iuberet. Quod quidem Natalibus SS. Cosmæ ac Damiani factum, v. Kal. Octob. anno M. D. XL. Idem Pontifex triennio post, finibus, quibus suum decretum primò circumscripserat, prolatatis, Societatem integrè rursus stabiliiuit. Idque ipsum anno M. D. L. Julius III. (Paulo hic III. Successor datus) alijque deinceps Pontifices, ad nostram vsque memoriam fecere: insuper raris eam prærogatiuis auctam voluerunt: quibus testandis eorum diplomata retinentur; in tempore, si res iubeat, demonstranda.

IGNATIVS *eligitur Generalis.*

CAP. XVI.

84. **I**N hunc ferè modum consti-
tuta Societas, nondum habe-
bat, quem summo sibi Imperio
præfectum spectaret. Igitur Co-
mitijs ad anni M. D. XLI. verum
ieiunium indictis, qui Socij in Ita-
liâ remanserant, ad designandum
GENERALEM euocantur: quibus
adesse ex negotio non licuit, ij ve-
rò litteris, quid fieri vellent, ape-
ruere. Omnium consensu IGNA-
TIUS renuntiatur. Sed nimirum ea
viri modestia fuit, vt inducere ani-
mum non posset, quò in eorum
potestate se fore premitteret. Cœ-
pit magnis proinde precibus fati-
gare Socios; vellent, iuberent, eo
onere liberum esse, cui ferendo se
imparem sciret: néve committe-
rent, vti vixdum coalescens Socie-
tas detrimentum ab se caperet. Im-
pulsit grauib; hoc genus querelis
Socios, vt, quod modò iusserant, ad
quatrimum comperendinarent.

85. In-

85. Interea temporis rursus
ad preces itur, & quid Numini vi-
deatur, solleter inquiritur. Ibi
nihil paucioribus suffragiis in
IGNATIVM spectantibus, idem
denuo vniuersis praeficitur. Hic
ille, cetera minimè pertinax, iuxta
repugnare, atque, ut serium scires,
secessu capto, ad recognoscenda
vitae totius acta totus incumbere:
ijsque Sacerdoti expositis, quid fa-
cto opus videretur, consulere. Thec-
philus is erat, vir inter S. Franci-
sci posteros egregie sanctus; apud
quem, in summo Ianiculo, expiare
se prius insuerat, quam Societas
plane coiretur. Hic talis, cognito
quid fieret, eum utique Deo ait
pugnaturum, si porro abnuere per-
seueraret. Tum denique manus
dare IGNATIVS, & decretam sibi
provinciam adire: idque ut auspi-
cato fieret, ante diem x. Kalendas
Maias cum Socijs, tribusque ado-
lescentibus eodem nuper allectis,
ad septem urbis Tempa inuisere.

86. Ibi in S. Pauli aede Sacris

operatus, solemnem votorum formulam Socijs præit: iisdem porrò consequentibus Eucharistiam impertit. Interim exuberare lacrymis omnium ora, & præ gaudio vix se ipsi capere, dum gratas Numini gratias singuli agunt, cuius consilio res cœpta euentum habuisset: obtestati, vt æternos sibi posterisque successus secundaret. Ita ab eo die cœpit & institutis suis Societas & capite valere. Inito Magistratu, nihil cunctatus IGNATIVS est, optimi parentis munere fungi. Et primum omnium habuit in diem posterum diluculo surgere, atque viritum omnes (vt in Collegijs solet) cubitu excitare: rem præfidi necessariam ratus, vigilias: & posse illius exemplo etiam reliquos facile expergisci, atque ad suos quemque labores adigi. Tum deinde, vt posset, quanto maximè alios præstabat, tantò vilissimus omnium apparere, sumpsit sibi in coquinâ curare, & inibi per dies complusculos pro mediastino facere, quidquid

vix tironem, sui vincendi causâ, decuisset.

87. Post etiam perrexit Christianæ rei elementa pueris tradere, diebus continuis quadraginta sex. Et quamvis, homo Hispanus, haud satis pro Italo, neque concinnè differerebat; is tamen emicabat oris ardor, ineratque linguæ vis tanta, ut auditores oppidò commoti, mox damnatis noxijs, ad Sacerdotū pedes abijcerentur; ac subinde inter eluctantes gemitus, animæque singultientis lamenta, loquendi copiam ægrè inuenirent. Quam rem ait Ribadineira non ambiguis testibus, sed oculis suis compertam se habere; quippe qui admodum adolescens quotidie solitarit, quidquid ille docuisset, accuratè repetere. Secundum hæc nullam operam omittebat, quo familiam nascentem propagare, & omnibus bono, quam latissimè traducere liceret. Eam vniuersam ipse, suarum precum fulcris firmare, & ingenio prudentiaque regere, & ingenti spiri-

tus magnitudine defendere; atque exemplis edoctam, ad optimas virtutes nitebatur inflammare.

88. Ac profectò credi potuit, neutiquam humanâ ope factum, vt sub ipsa initiâ, tantula Sociorum manus, per plerumque orbem dispersalata, vbiq; sedem, intra anni vnus spatia nancisceretur. Nam & in prouinciam Galliam coloniarum ducta, & Italia Germaniaq; Societatem accepere. Per Hispaniam quoque ac Lusitaniam increbuit Sociorum nomen, ac mox ciuitate accepti. In Hiberniam denique Indiamq; transportatâ exiguâ eorundem copiarum, mirabili incremento auctuq; in Indiâ certè, valuerunt. Ita, quod IGNATII votum fuerat, breuî effectum eo adhuc superstite vidimus. Et nimirum hanc à Deo gratiam inierat, vt cuiuscumque consilio animum applicuisset, id plerumque omne propitio euentu expediretur.

89. Gessit ita Kempub. summo cum imperio IGNATIVS, annos quin-

quindecim & menses prætereà tres, dies omnino nouem, cum cœpisset ex ante diem XI. Kalendas Maias M. D. XLI. ad vltimum vsque Iulium anni LVI. quo ex humanis abiit. Et eo quidem toto tempore ita assiduus in fungendo munere fuit, vt sibi Româ exeundi copiam numquam fecerit, nisi cum ex negotio in agrum semel Neapolitanum, atque iterum in Oropitanum venit, apud Pontificem Paulum III. dicturus. Nos verò vnum hîc in locum conijciemus, quidquid illum variè per eos annos rebus gerendis exercuit. Primæ illius curæ fuerunt, Domum Romanam constituere; quæ vna deinde, veluti parens, tantam orbi sobolem parturiret: indidem alumnos quaquâ versum emittere, eosque optimis legibus formare, quò in concionibus operam se dignam facerent. Nec fefellit illum hic suorum labor. Passim ita se bonis omnibus insinuauere, vt desiderio accensi multi, Collegia flagitare, &

Socijs ciuitatem offerre properarent. Quibus ille, quæ visum est, opportunissimè auxilia submittebat. Atque inde modicam familiam, cum bono DEO, ad hanc amplitudinem breuî perduxit. Sed quando haud obscurum erat, id studere malum dæmonem, vti, pro suo in IGNATIVM Sociosque odio, magnas vndique turbas conciret, quibus cœpta eorum consilia vafer eluderet; occupandum sibi illius conatum duxit IGNATIVS, vltroque in aciem prodire, ac prior bellum ei facere maturavit: & quantum ille mentiendo niti, tantum ipse pro vero ac bono propugnare.

IGNATII labores Roma.

CAP. XVII.

90. IGITUR præter multarum rerum onera, quibus succumbere quantiuis humeri potuissent; insuper ad hoc seriò incubuit, vt flagitia, si quæ irroborarant, vrbe pellerentur: curauitque illorum
vicem,

vicem, præclara scita virtutibus inferendis fieri. Quemadmodum fuit istud, ne quis medicinam ægris prius faceret, quàm illi piaculari se cōfessione lustrassent: quod ipsum licet edicto quondam Innocentius III. sanxerit, tamen temporis longinquitas memoriam rei aboleuerat. Cùm primis in id incubuit impensè, vt in Collegio Romano, velut Athenæo quodam, amplissimos litterarum ludos aperiret: ad quorum exemplum, in ceteris Societatis domicilijs, alios deinde aliosque instituit: sanxitque vt gratuita Magistrorum opera esset, magno iuuenum æquè ac studiorum bono. Nec sudatum minùs in altero Collegio fuit, quod adolescentibus Germanis ad optimas disciplinas formandis destinarat: inchoatum à se quidem, sed ab alijs (quod euenisse iam vidimus) olim perficiendum.

91. Tum prætereà fecit, vt ædes conderentur, quo receptum haberent ij, qui de Iudæis aut barbaris

ad

ad Christianos transcribi vellent. Nec non & Collegium illi se debet, quod S. Marthæ dicatum est: ijs feminis bono, quas vel à viris diuertentes libido traxerat, vel quæ corpore suo quæstum fecerant; donec aut in fidem à maritis receptæ, aut nuptui datæ, periculum pudoris mutassent. Eamque rem tanti censuit esse, vt hoc genus mulierculas, iam è probro assertas, ipsemet in omnium ore, ad illud Castitatis asylum traduceret: oblitus ætatis atque auctoritatis suæ, neque quam prouinciam gereret, attentus. Et aiebant aliqui, hanc eum operam certò perdere, quando illiusmodi mulierculis promptum foret, in consuetudinem relabi; &, è quorum scelerum peste vix dum eductæ fuissent, eodem mox deterius præcipitari. Quibus ille placidè renidens, nequaquam actum se agere, respondit. Nam vbi hoc me, inquit, labore totum fregero, idque solum denique profecero, vt ex omnibus vna aliqua

aliqua sit, quæ noctem vel vnicam spurcæ libidinis immunem ducat, operæ ego meæ magnum me pretium tulisse iudicabo. Igitur vt huic hominum generi satis prospectum vidit, egit postmodum, vt orphanotrophia per Urbem duo construerentur; quorum altero possent puellis necessaria suppetere; pueris alterum pupillis relinqueretur.

92. Sed vehementiùs aliquanto laborauit in excitando S. Catharinæ cœnobio, vbi castitas earum præsertim virginum in tuto esset, quas videbatur siue negligentia parentum, siue nequitia, in discrimen honestatis coniectura; siue quas ipsa egestas, non optimi semper consilij mater, erat expositura. Ita numquam destitit ea moliri, quæ vsui alijs commodoque fore autumabat. Inter eiusmodi tamen studia, quò IGNATII charitas animique vis apertior haberetur, non intercessit DEVS, quin atroces odiorum turbines rursus
in

in illum incurrerent. Quorum tamen excitati fluctus, velut scopulo illisi fractique, breui elanguerunt: & illum quidem orbi notiore, cœptaque eius validiora reddidere.

93. His talibus alijsque, supra quam credi facile possit, assidue exercebatur: quamquam ipse corporis vires longè impares, ceterum animum multò superiorem gerebat. Et accedebant litteræ, aliæ super alias, iam reddendæ, iam cognoscendæ: quibus vndique ferè, ijsque creberrimis sollicitabatur. Sæpè viri principes illius sibi preces ac vota postulare, sæpè consilijs iuvari, & prudentiâ eius doceri cupere: modò, vt in negotijs curandis suam operam addiceret, rogare: tum verò alij gratiam pro eius erga se meritis dicere, & labores, quos fructuosissimos eius alumni obirent, laudare: tum denique alij aliud velle. Videres peculiarem illi ad res tam diuersas vim inesse; animumque suppetijs
diuinis

diuinis niti; cū in affecto corpore alacrior seipso fortiorque semper appareret.

IGNATII *agritudo & obitus.*

CAP. XVIII.

94. **I**GITUR defluere corpus viresque in dies pergebant, cū vigor tamen animi morbis adhuc omnibus imperaret: neque senium ipse, quamuis senex, accusare audiebatur. Ad hæc, etsi longas vitæ molestias, ita perferebat, vt etiam diuturniores ferre non abnueret, tamen ingenti desiderio ad cælestem patriam ferebatur, vbi æterni Numinis adspectu quandoque potiretur. Neque cogitare aliquando suum obitum poterat, quin exuberantes gaudio lacrymas funditaret. Quare iam annis, & morborum laborumque arumnis haustus, cū magnis idemtidem prælijs Ecclesia quateretur, DEVM cœpit multis lacrymis vrgere, iuberet se statione excedere, & quietem demum illam capere, quâ æstuan-

æstuanti animo atque in DEVM spectandum vehementiùs intento, fieri satis aliquando posset.

95. Haud irritum id votum esse, sed audiri se, factò indicio sensit. Ac mox Leonoræ Mascarenæ, nobili feminae, Philippi Regis quondam nutrici, scribens, supremùm saluere eam iussit: quippe, (quod ipsa post narravit,) postremas eas litteras fore: ceterùm quas preces in terra porrò prætermitteret, eas in cælo se vberiores pro illâ facturum. In ultimâ dein ægritudine, quamquam nihil præter ceterorum dierum consuetudinem dolebat, ipse tamen diem imminere senserat, quem summus Prætor dixisset. Itaque confessione piaculari, & epulo Christiano reficitur; (quod assolebat, quoties facere æger ipse non poterat) & sub vesperum eius diei, qui IIII. ante Kal. Sextiles numeratur, Patrem ad se Polancum arcessi iubet, quem virum Societas à secretis tum habebat.

96. Atque ei alia omnia suspi-
canti, placidè quieteque, summam
appetere horam ostendit: iret
proinde, Pontificemque Maxi-
mum veneratus, morituro solem-
nem noxiarum veniam postularet,
quò liberior excessus esset. Quæ
quamuis inopinatò accepit Po-
lancus, nauiter tamen, vti iussus
est, abit: inuenitque Pontificem
ad eiusmodi quidem postulata fa-
cilè, sed ægritudine tamen I G N A-
TII vehementer commotum. In-
terim domi ad Medicos curritur:
ij captis experimentis, nihil peri-
culi timendum pronuntiant. Quos
ille quidem, etsi grauius falli sen-
tiebat, nullo sibi verbulo admo-
nendos censuit: neque pro eo,
quod clam ipse norat, cõtendere;
sed in Medicorum auctoritate esse
voluit, modestè veritus ne occulti
aliquid rescisse diuinitus videretur.

97. Ita nemine metuente, die
postero (is erat Lunæ) hora post
ortum solem, cum manus cælo
sublatas, eodemque oculos defi-
xisset,

xisset, suauiter, & quâ animo quâ ore IESVM vocasset, denique inter sereni vultus indicia excessit, animamque auctori, à quo conditam acceperat, feliciter transmissit, pridie Kalend. Sextiles, anno M. D. LVI. cum annos vitæ numeraret omnino v. & LX. sed vitæ melioris xxxv. quos ille omnes traduxit in vltimâ egestate: voluntarijs rigoribus assiduè, & vel peregrinationi, vel litterarum disciplinis intentus: ac postremò cum carcere, vinculis, ærumnis creberrimè conflictatus. Quibus tamen rebus omnibus fuit superandis. Nam animus ei erat secundarum contemptor, aduersarum victor; amore in IESVM eximius, qui & hostes inferos, ceterosque in eius ruinam laborantes nouissimè omnes prostrauit. Vir ingenio planè modesto: & demissionis, quoad vixit, vnicè studioso: qui adeò cum decessurum se iam videret, noluerit neque Vicarium sibi generalem sufficere; neque familiares acci-

accire, vt ijs saluere iussis benè precaretur: neque aliud quidquam ostendere, quo ipse magni se aestimasse, aut aliquid ad iacienda Societatis fundamenta contulisse crederetur.

98. Secundùm institutam firmatamque Societatem, superstes annos fuit sedecim, viditque hanc Sociorum Collegiorumque frequentiam, vt prouincias non minus duodecim decedens reliquerit; quarum nomina hinc posuisse, pretium mihi est. Nam per Hispanias, prouinciæ formam habere Lusitania, Castellana, Arragonia, Bætica. In Italiâ, Insubres ac Tusci vnâ; Neapolis & Sicilia singulas fecere: Germania in Superiorem & Inferiorem tributa: Galliam quoque & Brasiliam, atque Indiam singuli iure prouinciali tenuerunt. Censebantur iam tum eæ prouinciæ partim Collegijs, partim domicilijs, centum: incremento cum per se magno, tum ob temporis breuitatē admirando.

IGNATII *sepultura*. CAP. XIX.

99. **A**FFECIT hæc IGNATII
 mors grauius multos, sed
 domesticos præcipuè omnes. Qui-
 bus tamen confestim suppetere
 solatia crebriora cœperunt, quæ
 Pater illis è cælo missitabat. Inde
 lacrymæ alijs, affectuum speique
 plenæ, decurrere; nouum animi
 robur in alijs videri; aliqui in la-
 bores resque aduersas, pro CHRIS-
 TIO, fortiùs ruere: non ignari,
 cui nouus hic se impetus deberet.
 Ductum funus, sepultumque hu-
 mili primùm conditorio, Kalendis
 Sextilibus, propter aram Maxi-
 mam eius Templi, quod Mariæ
 ad viam inscribebatur. Sed anno
 deinde M. D. LXIX. die funeris
 anniuersario, quòd aram contige-
 rat mutari, in alteram eiusdem æ-
 dis partem transportatum est: do-
 nec sub annum M. D. LXXXVII.
 ante XIII. Kalend. Decembres,
 in nouum Professe Societatis tem-
 plum, ab Alexandro Farnesio Car-
 dinale

dinale magnificè constructum, placuit transferre lipsana; & tumulo plumbeo inclusa, propter dexterum aræ maioris latus collocare. Impositum supernè saxum, leue illud quidem, neque cælo laboratum: sed iuxtà in pariete adstituitur marmor, nigro colore ac relucens, cum hac scripturâ:

D. O. M.

IGNATIO
SOCIETATIS IESV
FVNDATORI.

OBDORMIUIT IN DOMINO
AETATIS SVAE ANNO LXV.
CONFIRMATI A SEDE
APOSTOLICA ORDINIS XVI.
SALVTIS HVMANAE M.D.LVI.

KAL. AVG.

EIVS IN CHRISTO FILII
PARENTI OPTIMO
POSS.

Eo in loco situm aliquamdiu
B. Parentis auctorisque nostri cor-

G 3

pus,

pus, apud omnes in præcipuâ veneratione erat: sed & nuper indidem refoffum, ac Sacello, quod ipsius proprium ibi visitur, illatum, à Nobilitate Populoque Romano impensè hodieque colitur; vndique multis, religionis causâ, eodem accurrentibus. Quos certum est, exciri cum magnâ vitæ, nec vulgaris sanctitatis opinione: tum admiratione earum rerum, quas mirificas illius precibus fieri quotidie vident. Capiuntur & magnitudine fructus, quem suis illum suorumque laboribus peperisse intelligunt: rati, haud facilè posse eam ramorum fecunditatem, nisi ab optimæ stirpis indole diffundi: neque tam vberes aquas, nisi à fonte salubri & abundo, scaturire.

100. Ceterùm statura IGNATIO fuit infra proceram: matura in ore grauitas: frons passâ & explicata. Oculis recedentibus palpebræ incumbabant, quas ipsas videres ab assiduo fletu irrugatas.
Aures

Aures ei mediocriter parvæ: nasus aquilinus: color albo atque æneo dubius: vultus ex æquo hilaris ac severus: qui facile in vtrumque mouere intuentes posset: vertex caluitio honestus: tibiæ altera ex vulnere breuior; sed cruris vnius vitium, incedentis modestiâ tegebatur.



S. IGNATII
 VIRTUTES.
 LIBER SECVNDVS.

IGNATII *Modestia.*

CAP. I.



VAE de Vitâ rebus-
 que IGNATII com-
 perta sunt, priori
 commentario, quàm
 potuit breuissimè,
 tradidimus: Virtutes, ceteramque
 eius indolem, deinceps perseque-
 mur. Sed in rerum optimarum co-
 piâ, incredibile sibi negotium ca-
 piat, qui singulas stylo complecti
 velit. Nobis sat erit, aliquarum
 dumtaxat syllabum hîc texuisse,
 & quas ille prolixè habuit, mul-
 to hîc angustius breuiusque de-
 narrare.

I. Familiam mihi ducat MO-
 DESTIA:

DESTIA: quam, vtut Latini nominarint, Religiosi HUMILITATEM appellamus. Ab hac IGNATIUS, disciplinam sibi exteriorem pleramq; formauit: & exemplis ferè, quàm benè de illâ sentiret, ostendit. Lacer enim ac tuniculâ malè factâ vix dimidiùm tectus, despectusq; orbem terrarum diu perambulabat. Pauperum diuersoria, quàm lauta hospitia malle; semperq; inter plebem pro ignoto mendiculo contemni affectabat: tum denique lætitijs perfundi se ratus, quoties occurrentium conuitijs ludibrijsq; adspurgeretur.

2. Addidit exemplo prudenter & hoc præceptum, *Longè ad infima descendendum ei esse, qui eniti in sublime quandoque vellet.* Tum deinde, ad corrigendos æui ruentis mores, salutemq; animorum rectè administrandam, maius ab hac Modestiâ momentum haberi, quàm si oculis auctoritas se sola intempestiuè ostenderet. Dicere

G § illum

illum interim meminimus, familiares sibi suos magno incitamento ad virtutem esse; ac sese, ad quosuis alios comparatum, erubescere; neque ab vlllo quàm à semet offendi. Scio & alicubi falsum, se, quoties diuina, etiam cum profanis ac facinorosis, loqueretur, semper lucri aliquid facere: quòd duceret seipse longè vtique illis ipsis improbiorem. Cui rei dicere idemtidem solitabat, Neminem alium esse mortalem, qui pluribus assiduè beneficijs occupatus, ceterùm æquè ac ipse exiles DEO gratias meminisset, eiusque obsequij perinde secors viveret.

3. Ribadeneiræ perfamiliariter aliquando aperuit, id sese precibus à DEO flagitasse, vt mortui cadauer in cœno lutoque prouolueretur, vbi feris & volucris pabulum fieret. *Nam quid ni ego me, inquit, hac deuotione dignum censeam, qui pars ultima sum cœni? Certè verò, nisi alijs confuleret,*

fuleret, nudum iturum se aiebat
 fuisse, & in eo corporis habitu
 compita foraque percurfaturum;
 vbi luto perlitus, & pueris ostentui
 habitus, pro stulto infanoque ride-
 retur. Sed in harum rerum sermo-
 nibus de se rarus audiebatur, nisi
 esset, vt grauibus momentis eò
 traheretur. Et, si quando alij de
 ipso benignius coràm loqueren-
 tur, repentè colligebat animum,
 & oris ruborem obortis lacrymis
 confundebat. Erat à sacris ei con-
 fessionibus P. Iacobus de Eguiã,
 patriã Nauarrus, vir magno iam
 natu, ac cetera mirificè pius; de
 quo IGNATIUS ipse, *Cùm in cœ-*
lo nos, inquit, erimus, Iacobus hic
tantò me altior eminebit, vt eum-
dem ego de longinquo sim, agrè con-
specturus. Is ergo huiuscemodi
 vir, multa idemtidem & mira su-
 per IGNATII virtutibus vitæque
 sanctitate memorabat; velut, cu-
 ius arcana animique studia vnus
 ipse penitissimè percalleret. Ea res
 tandem comperta, vehementer

IGNA-

IGNATIO est displicita. Quare supremis illi obedientiæ legibus interdixit, ne quid se superstitè porrò auderet. Quod ille cum ægrè se capturum ostenderet, IGNATIVS, ne qua vel inuito elaberentur, desijt post ad eum redire. Interim senex sæpè optabat, vel pauculos dies IGNATIO superstes esse, vt, legibus solutus, quæ de ipsius incredibili virtute nosset, cum plurimorum bono euulgaret. Sed DEO visum, triduo quàm IGNATIVS oppeteret, Iacobum præripere. Quod factum IGNATII precibus esse, non absurdè creditum fuit.

4. Comparauit verò tantam sui ipsius cognitionem, vt annis compluribus, nulla inanis gloriæ cogitatione percelleretur: nec erat alia animi pestis, à quâ minùs timere se diceret; cum alioqui palàm sit, eâ lue bonos etiam viros, & non è vulgo sanctos, interdum afflari. Hac tali demissione res ceteras omnes condiebat. Hinc illa vesti-

tus,

tus, non fordidi, vilitas; hinc lectulus pauper; indidem tenuis victus, itaque modicus, vt cœnam esse prandiûmve, meritò negares. Operam libens ponebat in abiectionibus obsequijs, vt ægrorum præsertim lectulos sterneret: & quoties de controuersia non planè liquebat, facilis in alterius sententiam abiret. Ita, quamuis supra ceteros ipse tunc esset, omnibus tamen æquare se, infraque infimos ducere, non simulatâ mansuetudine solebat.

5. Pueris Christiana fortè rudimenta tradentem, obseruarat adolescentulus, hominem quippe Hispanum, impeditiùs Italicè loqui: confestim admonet, leges Grammaticas aliud velle; ideoque emendatiùs quædam esse tersiusque efferenda. Ille intempestiuo adolescentis officio nihil offensus, laudare studium, atque rectè & ordine id eum fecisse dicere; pergeret imò, suasque in linguâ Italicâ mendas obseruare numeraret; se
 ea,

ea, quæ moneretur, sedulo correcturum.

6. Magnum in primis modestiæ argumentum fuit, cum tanto opere desideravit Societatem à IESU nominari: idque cum eam ob causam, de quâ supra docuimus; tum verò etiam, ut ne suum illi nomen à quoquam inderetur; nève sui vsquam haberi celebrior mentio posset. Quare & familiam hanc MINIMAM appellari, & tales sibi ipsis videri Socios omnes cupiebat. Quò eòdem spectat, cum toties tamque serio pugnavit, ut ne vniuersæ Societati præficeretur; donec tandem iniectâ religione ad prouinciam fuit accipiendam coactus. Quamquam ne tum quidem ambitiosè retinuit: nam vocato Patrum grauiorum coetu, in annum M. D. L. ingressus de se conqueri; omnibus, dixit, exploratum haberi, nulli se parti eius muneris, quod gereret, parem esse. Atque in eam rem, testatus Deum, obnixè laborauit, ut per
eos

eo sibi liceret provinciã abire.
 Quibus verò familiariter vteba-
 tur, ij omnibus eum virtutibus ita
 pollere sciebant, vt crederent, il-
 lum ipsis Religionum ductoribus
 documentum fieri posse. Ita nihil
 adeò tum, ac ne postea quidem, re-
 sæpiùs tentatã, profectum est:
 quòd semper obstinato consilio
 Patres responderent, nulli se al-
 teri, donec viueret **IGNATIVS**,
 vniuersam rem permissuros. Ibi
 questus est ipse, se, cum nulli rei
 idoneus sit, impedimento tamen
 esse, ne meliori provincia tradatur.

IGNATII tranquillitas.

CAP. II.

7. **A**B hac **IGNATII** Mode-
 stiã, multæ aliæ primi no-
 minis virtutes pullularunt: qualis
 erat, quã se ipse, resque hominum
 fluxas despiciere; tum quã fortiter
 laboribus occurrere, ac patientiæ
 laudem inter tam aduersa infesta-
 que tempora ferre in primis con-
 spicie-

spiciebatur. Est nimirum animi hæc demissio, cæli solatijs indignum se reputare, nec ullis immeritò ærumnis se laceffi, sed quantò plura perpetiatur, tantò plurima commeruisse, credere. Nam & ipsum hoc illi gaudium est, videre mortalia quæque in se ruere, & pœnas neglecti Numinis à reo repetere.

8. Singulare studium deinde adhibuit IGNATIVS ad motus animi componendos: quo tantâ ille tranquillitatem breuî est consecutus, quantâ nulla propemodû possent euenta perturbare. Homo naturâ ceteroquin vehemens, & ingenio erat præferuido: verùm ita se tamé ipse triumphauerat, vt mira in vultu verbisque comitas, nihil natui ignis proderet, frigori que potius ac languori obnoxium corpus trahere crederetur. Etsi autem bilis impetum, qui in vitium ferret, à se prorsus abdicarat; vim tamen eius, in rebus arduis necessariam, apprimè retinebat. Corpore sæpè à
morbis

morbis iniurijsque malè affecto, eandem illi esse constantiam vidimus; neque si exteriora verterentur omnia, intus quidquam mutabatur. Eaque re tandem & corpus assuefecit, ut, quoad eius fieri posset, traheret colorem, quem ratio, non impetus suafisset.

9. Aeger olim in lectulo iacebat, cum monuit fortè Medicus, ne tristi se cogitatione confunderet. Hic ille collegit animum, positisque calculis, considerare cepit, ecquâ tandem re inquietari posset. Reperit vnicam: & Quid si quo, inquit, infortunio Societas labefacta corrueret? Ea se vnâ clade sensit hætenus commotum iri, ut tamen intra quartam horæ partem, si precari ex more contigisset, ad animi quietem rediturus sibi videretur; etiam si præceps, vmbrae in modum, Societas abiret: dum ne quam ruinæ causam ipse præbuisset. Quod quàm moderati animi sit, in promptu est cuius nominis rudi cognoscere.

H IGNA-

IGNATII *in DEVM amor.*

CAP. III.

10. **N**EQVE sterilis hæc IGNA-
TII virtus aut improlis
fuit. Nam sui despicientia mul-
tum profuit ad DEI amorem pa-
riendum, cuius ille singularem per-
fectionem obtinuit; eamque ibi
maximè prodidit, vbi maxima
quæque eius amore erant perpe-
tienda: ratus, hoc olim Romanum
insigne, iam esse Christianum,
ET FACERE FORTIA, ET PATI.
Sed ea, quæ quantaque fuerint, su-
prà licuit videre. Certè verò præ-
dicabat, si vsu veniret, delicata om-
nia, quæque prima mortalibus ha-
bentur, comparari; tanti ea sibi
numquam fore, quanti carcer in-
iuriæque fuissent, in DEI gratiam
exantlatæ: nec aliunde accidere
tantū animo gaudium posse, quod
eam æquaret voluptatem, quam in
perferendis pro CHRISTO con-
uitijs hausisset. Idem à Socio fa-
milia-

mi
ret
&
ma
Qu
mu
ru
qu
qu
lan
bus

Ig
cōp
qu
ru
ciu
om
ver
ten
ret
vt
mo
ru
per
ad
per

miliariter rogatus, Ecquam duce-
ret omnium expedi tiffimam simul
& breuiffimam viam, quâ ad opti-
mæ vitæ conditionem euaderetur:
Quâ aduerfis, inquit, rebus exerce-
mur; Christi que cauffa iugibus æ-
rumnis fluctuamur. Et ftude tu in-
quit, hanc ab eo gratiam inire:
quam vbi acceperis, non fanè fo-
lam habebis, fed multis alijs opi-
bus comitatam.

II. Hæc talia facere dicere que
IGNATIVS ſolebat: nobis interim
cōplura charitatis, quâ in DEVM,
quâ in mortales, argumenta patue-
runt. Illuc enim referendum hoc
eius eſt ſciturum, quo, dicta facta que
omnia in DEI maiorem gloriam
verti ſemper cupiebat: non con-
tentus, ſi nihil eius ingratijs face-
ret; niſi id etiam conſequeretur,
vt illi gratioribus obſequijs gerere
morem aſſiduè poſſet. Quare dua-
rum rerum optimarum, eam ſem-
per complectebatur, quæ propius
ad ſupremum Numinis honorem
pertineret.

12. Iam ab eodem fonte exstitit ingens illud, de quo supra memorauius, DEI videndi desiderium: vt, quoties de moriendi necessitate in mentem veniret, gauisus lacrymas non tenuerit. Neque id eò solum, quò summum sibi bonum fruendum citius obueniret; sed vt gloriam CHRISTI, tantopere amati, coram intueretur. Sub annum M. D. XLI. mense Quintili, pro re natâ dicentem audimus, factâ duarum rerum optione, vt vitâ vel confestim excederet, cæli securus; vel superstes aliquamdiu, sed non proinde certus, degeret: in hâc se partem iturum esse, dum præclarû aliquod operæpretium DEO facere interim liceret; periculo præobsequijs contempto. Nam quis mortalium, inquit, est Principum, qui, oblata videns stipendia tantisper à milite differri, quoad pluribus illa titulis promereatur, non obstrictum se vicissim credat, ad eadem illi vel tutò conseruanda, vel etiam duplicanda? Et Principes

pes

pes igitur nostri hoc soleant; negligeret DEVS? aut beatitudinem, utique suâ causâ dilatam, pateretur amitti? Alius hæc, inquit, deliria somniet: animum ego, ut hæc de DEO, Principe tam facili ac munifico, credam, inducere non possum.

14. Subierat fortè reputare, equis sibi sensus foret, si quâ infernis ignibus addiceretur. Iuuat autem in hanc rem ea exscribere, quæ in membranâ ipsemet subnotarat. *Duabus, inquit, rebus defixus hærebam: alterâ, quæ ibi supplicia mihi forent luenda; alterâ, quibus ibidem quantisq; DEI nomen conuictijs peteretur. Ac priori quidem nihil adeò moueri me, neque terreri sentiebam; ceterùm, audire illas diuinissimi Numinis iniurias, id demum magno me opere sauciabat.* E quibus verbis haud obscurum est arbitrari, quanto amore arserit, qui pœnarum inter pœnas, sui que ipsius oblitus, solius DEI iniuriâ percelleretur.

IGNATII *erga proximos amor.*

CAP. IV.

15. **H**VIC virtuti proximus erat **A**MOR erga ceteros mortales, in quibus **D**EV M ille assidue spectabat, & si ijs bono esset, per publicum decurrere nudis pedibus, ludibrijsque onerari, nihil cunctaturum se aiebat. Nec tam obsoletum corporis deformemque componi vestitum posse, quem, quantiuis homuncionis causâ, iniicere sibi recusaret.

16. Parisijs hominem comperæ libidinis, quâ mulierculam deperibat, sic post multa, quæ frustra fuerant, aggressus est corrigere. Quâ transeundum infelici amasio erat, insidias opportunè struit. Locum occupat, vndaque gelidissimæ vadum, vbi collo tenus emersus, aduentorem expectet. Sequitur demum ille, & pessimi consilij certus, transire pontem properat. Hic inasperatò ab vndis vox, & cum voce

ce terror: Iret omnino miser, fœdisque voluptatibus litaret, quando aspernari porrò cœlestium minas constituisset. Se certè pœnas interim à se sumpturum, quas ille commeretur: donec, exorato Numine, imminentem ab eius capite cladem auertisset. Ad hoc ille tonitru continuò hæere, planeque iam fulminatum se credere: deinde profusæ charitatis miraculo captus, animum mutare, iterque malè cœptum vltro defistere, & veterem cum Sirene consuetudinem æternum abolere.

17. Quàm quisque plurimis illum maleficijs petiisset, tam maxime beneficijs IGNATIVS se vindicabat. Specimen huius haud vulgare adscribam. Contubernalem Parisijs habebat, cui stipem alicunde sibi suppeditatam, rei que litterariæ necessariam, commendarat, malo quæstori. Is ipse, cum peculio ærarioque omni furtim elapsus, mox Rhotomagi grauter laborare, capitisque discrimen, morbo

carnifice, adire cœperat. Ita desertus, ad IGNATIVUM, cuius inuictum animum pernosset, litteras continuo remittit; rogat, ad se properè, si videatur, inuisat. IGNATIVVS, vt si ab amicissimo inuitaretur, repentè itineri se accingere, & Rhotomagum properare: nullâ neque cibi micâ, neque potus guttulâ refectus, totum triduum hilariter currere, & milliaria octo ac viginti, nudis pedibus, inter preces, pro prædonis sui incolumitate contendere.

18. Alterum hominem haud modico beneficio sibi Lutetiæ familiariter deuinxerat; qui deinde malè redditâ gratiâ, iræ impotens, IGNATIVUM occidere moliebatur. Ei facinori patrando attentus, iamque per ædium scalas irrupens, dum terrificâ voce, *quorsum infelix rueret*, appellatur; plenus formidinis, à nefariâ cæde se abstinet, atque ad pedes illicò abiectus, & facinoris meditati rationes exponere ingressus, benignè ab IGNA-

TIO amiceque accipitur. Verum ea fuit ingrati animi pestis, quam crederes in praesens ideò solùm repressam, vt sapiùs cum illà IGNATIÏ virtus dimicaret. Nam in eâ tempestate, quam ante stabilita Societatis instituta, coortam scripsimus, hic ipse haud leue ad inuidiam nostram momentum attulit, calumnijs & commentis aduersus IGNATIVM grassando. Quamquam idem postea quaestionibus habitis, calumniator compertus, atque à iudice multatus est. Sed retinuit tantam, siue ille de IGNATIO opinionem, vt porrò noua maioraque auderet postulare; siue IGNATIVS in illum charitatem, vt rogatus, eundem inter Socios demum suos cooptaret. Vbi tamen malus hominis animus rursùm erupit; eaque propter à Societate breui post missionem accepit.

19. Hæc amoris exempla ad externos pertinere. Suos multò etiam arctioribus vinculis complexus est.

Documentum fuit primorum Sociorum

ciorum vnus ; qui cūm Parisijs fuisset adlectus, aliquando cœptus est graui mentis æstu agitari , vt proximè suam perniciem abesset. Re cognitâ, IGNATIUS triduum totum impransus & incœnatus, quin omnis etiam potus immemor, flere, Deoq̄ue continenter perstitit supplicare; donec hominem periculo exemptum, & quieti pristinae vidit restitutum.

20. Alio item tempore animadvertens Socium immodicâ libertate suetum, sibiq̄ue parum esse morigerum, vehementi dolore discruciabatur; secum reputando damnum, quo Socius non dubiè pessum iret. Inijt verò hanc sui vlciscendi rationem, vt prece atque vberè fletu DEVM illi placare impensè niteretur; tum etiam inter Sacra magnis eum gemitibus identidem excusaret; caussatus, eum inscientem, quòd mentis bonæ inops esset, in præceptis ferri.

21. Resciuerat idem, adolescentem de Societate deserendâ consilium

filium cepisse, & causam subodo-
 ratus, quòd de noxijs olim patratis
 confiteri erubesceret, adiit familia-
 riter, suamque illi priorem vitam
 liberè recensere exorsus, narravit,
 quàm inanibus studijs ætatem tra-
 xisset; quasque res, quamque per-
 niciosè amasset. Quà illum narra-
 tione expugnatum cupiebat, vt
 posito rubore, in DEI clementiã
 niti adolescens inciperet. Ceteros
 item singulos curiosã sedulitate
 seruabat. Eorum tenuiores debilio-
 resque fulcire, ærumnosis solatia
 suggerere; si quos pusillo esse ani-
 mo videbat, eos verò surrigere. Ce-
 terum pro ægris præcipuo studio
 excubare: ea propter benè secum
 agi dicebat, quòd valetudine non
 optimã vteretur; tali enim magi-
 sterio doceri se, quemadmodum
 alijs ipse consulere deberet.

22. Vicentiæ quondam è feбри
 languebat IGNATIVS; cùm fortè
 affertur, Simonem Rodericum in
 Bassanis extremè decūbere, mor-
 boque capitali attineri. IGNA-
 TIVS

TIVS illicò sui oblitus, surgit Socium inuisere; emensus diei iter, tantâ cum alacritate, vt ægrum comitem P. Faber vegetus valens-que agrè consequeretur.

23. In illo prætereà itinere, quod cum P. Iacobo Laine fecerat, comitem maximis doloribus oppressum per quàm anxie fouebat. Nam pecuniâ primùm, quantulam in stipe vterque acceperant, iumentum ei conduxit: ac deinde vehenti, & paupere tuniculâ inuoluto, antambulonem se dedit, mirè hilarem, itaque celerem, vt, Lainesio teste, currentem, equus etiam ipse difficulter æquaret. Longè tamen eum vidimus acriorem in Sociorum nomine tuendo, inque animi bonis procurandis.

24. Tum deinde, si quos etiam error fortuitus, aut aliud quid humanum transuersos egisset, cum primùm eos pœnitundine duci, & factum corrigere velle sentiebat, continuò omnem delicti memoriam sepelijt, vt si nihil in ijs vniquam

quam aduertisset. Quo fiebat, ut
 suauissimis affectibus Socios sibi
 omnes delinitos, ad quoduis im-
 perium nutumque alacres habe-
 ret, atque ad perfectionis ardua
 promptos facilesque duceret.

IGNATII prudentia. CAP. V.

25. **V**ERVM non ita tamen co-
 mem se suis præbebat,
 quin, vsu interim poscente, seue-
 rus esse auderet. Artificio enim
 mirabili, ad cuiusque captum aut
 indolem suauior modò, modò ve-
 hementior apparebat: illud mode-
 stis, hoc contumacibus opportu-
 num ratus; cum neutris tamen
 non amanter paterneque agebat.
 Etsi autem in primis Socios om-
 nes sibi optabat tales, quos in v-
 trumque liberos iuxtà pronosque
 haberet: dabat tamen operam, ut
 explorato cuiusque ingenio, id
 alijs alijsque imperaret, quò spon-
 te animi propemodum fereban-
 tur; gnarus id omne difficile factu
 esse, quidquid reluctantibus ani-
 mis

mis tentaretur; nec violenta ad senium peruenire. Sed nimirum longâ oratione sit opus, ad hanc optimi Parentis virtutem germanis coloribus depingendam: quando & cetera hoc genus ornamenta sic vnus omnia habuit, quasi singulis tantum vnice studuisset; itaque in singulis eminuit, vt palmam Virtus altera alteri visa sit dubiam fecisse.

26. Certè autem in eo, & prudentia quædam singularis, ad leges Societati ferèdas, emicuit: & suam animus fortitudinem duabus in rebus præcipuè ostendit: siue cum aduersa nitetur percurrere, siue cum arduis interitus occurrebat. Iam deinde humanitas illi inerat ea, quâ plerisque sibi omnes, & hostes etiam ipsos, obstringebat; fractaque illorum pernicaciâ, quò quemque vellet, impellebat. Porro quod laudabiliter semel incepisset, ab eo nullis difficultatibus retardari se sinebat, quin effectum daret: solitus eam in rem modos viasque
sedulo

sedulò ac prospicienter quærere, quibus negotium expediret: ijsque semel inuentis, deinde constanter uti. Fiduciâ aduersus DEVM incredibili erectus, numquam aliam, neque in carcere sui defensionem, neque ærumnis vndiquaque circumuentus, humanam sibi opem flagitabat, diuinâ contentus. Ideò inter supremæ egestatis iniurias, cum præsertim Socijs alendis omnia defierent, cælo fretus, insperatò, omnia suppeterè interdum affluereque sentiebat.

27. In linguâ (re vnâ omnium maximè lubricâ) non vim maiorem, quàm moderationem ostendit. At in alijs diiudicandis, aduigilabat gnauiter, ne quem damnarèt: neu de vitijs, etiam palàm peruulgatis, aut loqueretur temerè, aut loquitantes auscultaret. Nam prudenti quadam digressionè ab ijs sermonibus diuertebat, quibus aliqui obtrectare, etiam vilissimorum hominum famam, audiebantur. Hæc aliaque IGNATIVM plurima

ma

ma commendabant : quæ in ceteris etiam singula admirationem habuissent.

IGNATII *studium precandi.*

C A P. V I.

CETERVM in studio precandi, necesse habeo morari : quippe in eâ virtute, quâ princeps quædam DEVM inter atque hominem necessitudo coitur, & quâ vnâ pleraque DEI dona mortalibus conciliantur.

28. Inundari se sacris delicijs inter preces, cum ipse dissimulare non posset IGNATIUS : modestè, id sibi donum dictitabat concessum, miserijs suis lenandis : velut, quem anni morbiq̃ue ad cetera fractum adepti, solis precibus adhuc idoneum reliquissent. Sacris inauguratus, cum quotidie stas Ecclesiæ preces diceret, vberrimis lacrymarum riujs occupatus, ad verba pænè singula consistere, atque idemtidem interiungere cogeba-

gebatur. Eoque lacrymandi usu
 assiduo haud nullam oculorum
 iacturam fecit. Sed pluris tamen
 censuit, delicias eiusmodi caelestes
 persequi, quam oculorum com-
 modis parcere: donec Medicorum
 consilio, ne valetudinem plarè
 pessum daret, obtinuit à caelesti
 Numine ius in lacrymas, cum la-
 xandas, tum coërcendas, nullo di-
 spendio suavitatis. Idem, quoties
 grauius rei momentum suberat,
 numquam est solitus decernere,
 quibusuis rationibus duceretur, nisi
 de summâ re ad DEVM prius re-
 tulisset.

29. Horis interdiu singulis, ani-
 mum consuerat accuratè colligere,
 ac sepositis curis à seipso, eccuius
 noxiæ sibi conscius esset, rationes
 exigere. Tum, si vis afferretur, quæ
 horam ei consuetudini negasset,
 proximâ alterâ confestim factam
 iacturam sarciebat: tametsi num-
 quam ille externis laboribus adeò
 se impendebat, vt interioris gaudij
 sensa prorsus amitterentur. Quin

I potius

potius assuefecit se, DEVM omnibus in rebus, ceu præsentem, spectare, atque ibi, velut in commentario, cælestia legere; & inde se aliosque optimis præceptionibus erudire. Quem precandi modum vtilissimum rebatur, ijs præcipuè quos negotia bona quidem, ceterum humana, intentos haberent.

30. Prius autem, quam ad diuina meditanda accederet, solebat parare se ipse, atque omnem animum studiosè componere: idque eo cum ardore, qui per faciem diffusus, extima quoque corporis perspicuè inflammaret. Et quantulacumque ea essent quæ ad hanc DEI familiaritatem valebant, principe studio omnia persequebatur, vt in ijs agendis crederes eum DEO præsentem assistere. Quod tum videre præcipuè licebat, quoties aut discumbendum, aut à mensâ recedendum cum precibus erat. Interea nullo strepitu quies precantis turbabatur; nisi cuius ipse causam præ-

præbuiſſet. A Iacobo quondam
Lainefio interrogatus ſuper modo
precandi, quo maximè vteretur,
reſpondit: In cæleſtibus meditan-
dis, AGI ſe veriùs quàm AGÈRE.
Quod abſolutiſſimæ virtutis faſti-
gium eſſe, Aſcetæ veteres tradide-
runt. Nam eum in modum Dio-
nyſius olim Hierotheum ait, DI-
VINA PATI ſolitaſſe.

31. Sed præter alia multa, inui-
tabatur ad hoc ſtudium magnis
cæleſtium rerum oſtentis. Nam
in primo morbi discrimine, S. Pe-
trum iucundiſſimi ſpectaculi pro-
cæmium habuit, quod ſuprà docui-
mus; atque indidem ex morbo
planè conualuit. Nec multò poſt
vigili, ac neſcio quid de caſtimoniâ
tuendâ ſollicito, Cælitum Regina
cum filiolo, inter eximium ſplen-
dorem ſe obiecit: gaudijsque om-
nibus perfuſum, timore illo, cete-
raque fœedarum rerum illecebrâ li-
beravit. Prætereà Manreſæ graui-
bus ac velut aſſiduis animi ſcrupu-
lis compunctus, poſteà quàm Pa-

nicum metum debellauit, sublimium deinde voluptatum communicatione frui perrexit.

IGNATII visa quadam insignia.

C A P. V I I.

32. **E**T stabat fortè in gradibus
 Lædis S. Dominici, pieque
 diurnas preces magnæ Virgini ad-
 numerabat; cum repentè animus
 diuinâ luce collustratus, mirabili
 cum gaudio SS. Triadem cœpit
 intueri, & quamdam tantæ rei ima-
 ginem, quoad licuit, felicibus ocu-
 lis impertire. Quare immodicis so-
 latijs initiatus, non singultus tem-
 perare, non lacrymas potuit erum-
 pentes continere: & lingua diu
 aliud loqui, & aliud cogitare mens
 nequijt, quàm quod insperato mi-
 raculo semel vidisset: conatusque
 alijs interim alijsque similitudinum
 vmbrijs, rei prodigium explicare,
 audientes in stuporem rapiebat.
 Certè confestim super illo argu-
 mento vberem lucubrare com-
 men-

mentarium incepit; scriptumque in tabulis diurnis reliquit, plurium annorum studio se ad luculentiorē scientiam non fuisse euasurum, neque maioris lucis in hac mortalitate capacem se credere, quā quantam ab eo viso hausisset. Alio quoque tempore repræsentatus illi est admirabilis modus, quo DEVS omnia quondam ex nihilo procrearat.

33. Tum in eodem S. Domini-
ci cœnobio, cū Sacris litaretur,
ipsaque demum Hostia manibus,
vt solet, in sublime sustolleretur,
claro mentis obtutu CHRISTVM
vidit, sub illo panis velo latitan-
tem. Quem eundem & alibi, sæpè
ac diu, exterioribus oculis, vti &
beatissimam eius Matrem Virgi-
nem, habuit contemplari. Neque
Manresæ hæc solū, sed in subur-
bano etiam Patauij ac Ierosoly-
mæ locisque compluribus eadem
contigere. Olim Manresâ egressus,
templum petierat, quarto inde la-
pide dissitum. Ibi interiuncto iti-

nere, propter annis crepidinem confedit: ac, defixis in vndas oculis, cœpit insolenti luce irradiari; neque vllâ tamen imagine occupatus, fidei quædam arcana, disciplinarumque scita penitissimè cognoscere: vt proinde quæ antea scierat, tunc ei longè diuersissima viderentur.

34. Sed illud fuit haud paullò memorabilius, quod itidem Manresæ contigit. Die quodam Sabbati, sub horam vltimarum precum, sensibus repentè destitutus, exanimis per dies octo continuos iacuit; nihilo ab sepulto diuersus, quàm quòd cordis leuiuscula quædam palpitatio deprehendebatur. Ceterùm omnibus in rei euentum erectis, altero deinde Sabbato, circiter eandem diei horam, recludit oculos, vt si placidissimo somno solueretur; & inter suauissimos affectus, IESVM leniter appellat. Quod compertum nos ex ijs habemus, (inquit Ribadeneira) qui testimonium in eam rem dixerunt; quive

quive de præsentibus videntibus-
que liquidò acceperè.

35. Non fuit infra hanc nobi-
lis illa ostensio, de qua supra me-
morauimus: cum sacram ædiculam
ingresso, DEVS se Pater obiecit,
Christusque in humeris crucem
gestans, blandissimè, *Socijs Romæ*
se propitium fore, promisit.

36. In Casinati monte, vbi
S. olim Benedictus proditur ani-
mam S. Germani, Capuani Anti-
stites, vidisse sublimem inter Cæli-
tes euehi, vidit & IGNATIVS Bac-
calaureum Hozium cælum petere,
qui nuper ei se Socium Venetijs
adiunxerat, ac tunc fortè Patavij,
cum P. Ioanne Codurio curabat.
Pro quo ipso item Codurio ope-
raturus, ibat aliàs IGNATIVS ad
S. Petri, quod cœnobium super
Ianiculi collem (hodie Montem
aureum) in Transtiberinâ regione
situm, visitur. Iam Sixti pontem
institerat, cum hunc vidit, quem
dixi, Codurium refulgentem in
cælum abire: & conuersus ad Ba-

ptistam Violam, suum tunc comitem, iam excessisse Codurium asseueravit. Rem alijs post ipse Baptista retulit.

37. Pater fuit quidam Leonardus Kesselius, gente Belga, vir in Societate veteranus, ac diuinis impensè deditus: isque Coloniae in Vbijs prima posuerat Collegij fundamenta; & Socijs ibi diu praefectus, magnæ sanctitatis famâ clarebat. Hunc talem virum vetus urgebat cupido IGNATII videnti. Eam in rem litteras ad Patrem exarat, copiamque sibi ab eo fieri flagitat, Romam proficiscendi, eiusque videnti ac colloquendi. Abest Vbiorum Colonia passuum plus millia nongenta. Ad quæ postulata IGNATIVS sic rescripsit, vt expedire rationibus Collegij per id tempus non putaret, si quâ Rector inde longius abesset. Ceterum hanc esse DEI siue providentiam, siue potentiam, vt, absque longinqui itineris molestiâ, videre inter se possent. Quieuit Leonardus;

dus; & non multò post vigilantibus
 sentienti que B. se illi IGNATIVS
 Coloniae improvisò stitit, atque
 aliquamdiu commoratus, ex oculis
 rursus discessit, eo adhuc tempore
 quo Romæ vitam ipse mortalem
 degebat. Affecit hoc tale spectacu-
 lum haud leuibus gaudijs virum;
 vt cuius desiderijs modo tam ad-
 mirabili iam satis esset factum.

38. Adhæc, Barcinone quondam
 Ioannes Pasqualis, Agnæ filius
 ibat ex more, vt Sacerdoti Sacris
 operaturo ad S. Eulaliæ adesset. Ei
 tunc idem IGNATIVS, sed ante
 annos iam aliquot functus, pro
 summo altari se clarè ostendit,
 Ioannes repenti, vt ad familia-
 rem, *Ab Pater mi*, exclamare:
 iamque adeò, ceu complexurus,
 accurrere. Verùm ei IGNATIVS
 manu abnuere, néve cominus ac-
 cederet, prohibere. Simul ab eo vi-
 deri desijt. Alia & horum haud
 absimilia, possent commemorari
 multa; sed nos prolixiora exosi,
 ne Lectoris otio abutamur, ple-
 risque

risque decreuimus supersedere.

39. Nam ijs etiam ipse adeò nihil tribuebat, vt quamuis circumflueret his cælitum delicijs, inter sanctitatis tamen probatæ testimonia, eas numquam numeraret. Magis animi modestiam mirari: & patientiam sui que despectionem laudare: tum precandi studium, & sui domandi sollertiam, talia que inter veras virtutes ducere solebat. Alia in hominum ore illustria esse, sed Deo tamen cælo que haud perinde æstimari.

40. Ab hac animi luce, nonnulli etiam radij in partem corporis exundarunt, quos arbitri sæpe numero conspexere. Id quod de Iabellâ suprâ narratum voluimus: quæ cum inter puerulos pro arâ summâ confidentē, insolito splendore radiare viderat. Idem alio tempore Ioanni Pasquali visum, cuius mater domicilium IGNA-
TIO præbuerat. Et Loiolæ (oppidi hîc nomen) istud ipsum & alij viderant, cum illuc ex Galliâ
regres-

regressus, ad hospitem domum
 diuertisset. Romæ deinde Philip-
 pus Nerijs, auctor Oratorij, ma-
 gnâ & notâ sanctitate vir, IGNA-
 TII æqualis, sæpius spectasse eum
 se aiebat, fulgentibus radijs multo-
 que capitis nitore coruscantem.
 Quo teste tantò libentiùs hîc uti-
 mur, quantò maiorem illum &
 sanctiorem fuisse, haud dubiè sci-
 mus: & à quo denique tantos ho-
 die fructus existere Roma mira-
 tur. Is verò addictissimum se
 S. IGNATIO, ac velut filium ge-
 rebat: solitus ad ipsum, consilij pe-
 tendi, recurrere, & in aduersis in-
 didem sibi solatia quærere. Quæ
 quidem ipsa abundè, simul IGNA-
 TIVM intuebatur, suppetebât. De-
 cessit hic DEI seruus M. D. XCV.
 ad VII. Kal. Iun. coluntque nunc
 eius memoriam festis gaudijs po-
 steri, nequaquam ingrati.

41. At multò illud est memora-
 bilius, quod Alexandro Petronio
 contigit, Medico Romæ celebri,
 & inter IGNATII amicos singu-
 lari.

lari. Decumbebat is graui valetudine impeditus, inque cubili, ob valuas obferatas, perobsuro. Hunc postquam inuifit IGNATIUS, relucere locus nouis splendoribus uifus, obftupescit ægrum, vt fcitari subigeretur, equanam, & vnde illiusmodi lux exifteret, quam infperatò conſpicaretur. Inter quæ confestim è morbo conualuit: eamque ſalutem IGNATIO præſenti acceptam retulit; etſi factum apud alios clam tantisper haberi uoluit, donec IGNATIUS uiueret. Poſt denique rem vniuerſam detexit, magnâ cum defuncti exiſtimatione.

42. Eundem Ioannes Paſqualis Barcinone inter preces sæpè ſublimem vidit, atque ad tres amplius aut quattuor dodrantes (ſiue, quod Acta referunt, ad quinque etiam cubitos) ab humo elatum, in aëre ferri; idemtidem hæc ſecum quiritantem, *O Deus, ô mi Domine, ſi homines te agnoſcerent!*
Idque

Idque ab ipso Ioanne persæpè
audisse se, filius eiusque nurus iu-
reiurando firmarunt.

IGNATII *vaticinationes.*

CAP. VIII,

43. **I**NSUPER vaticinatione cla-
rus, præsensit prædixitque
multis res multas lōgè antè quàm
fierent. Iturum fortè Ierosoly-
mam, adolescēs annos natus octo-
decim Ioannes hic Pasqualis co-
mitabatur. Quem ille reuerti ius-
sum, admonuit, matri potiùs vt in-
seruiret; tum fore, vt vxore ductâ,
liberos procrearet, multisque ea-
propter laboribus exerceretur. Me-
minisset solùm, forti animo con-
stantique omnia perferret. Addi-
dit deinde alia, quæ omnia haud
aliter quàm ostenderat, euenere.

44. In Belgas aliquando è Gal-
lijs transierat, stipem ibi ab Hispa-
nis gentilibus coactum, quâ cœpta
litterarum studia persequeretur.
Accidit, vt Antuerpiæ tunc inuita-
tus,

tus, cùm apud institorem pranderet, conspiceret è familiã quemdam, defixisq̃ue in eum oculis, aliquamdiu hæreret. Is autem iuuenis tum erat, & Petrus Quadratus Medina vocabatur. Hunc iussit iuuenem propiùs ad se accedere, docuitq̃ue, magna olim ab eo beneficia in Societatem manatura: idcirco ineundam sibi tantò antè cum eo necessitudinem. Sciret quippe ille, haud nihil DEO se debere, vt quem condendo iam olim Societatis Collegio designasset. At nondum certè coalita tunc Societas erat: nec tamen fefellit. Nam longè pòst ipse, eiusq̃; vxor Francisca Magna, Societati Collegium Medinæ Campi fundarunt.

45. Quo tempore abisse eum Vicentiã diximus, vt Simonem Rodericum in morbo fluctuantem inuiseret; secessit in partes aliquamdiu, comite propter viam relicto. Atque ibi diuinitus de Simonis valetudine edoctus, Fabro comiti suo, Aeger iam, inquit, non
 morie-

moriatur. Inde in oppidum ingressus, agrum amplectitur, interque eos complexus, bonam habere mentem iubet. Nam ex hac, inquit, ægritudine tu quidem non moriere. Et cum dicto conualuit repente Simon. Quod hic alijs est ipse factus; & ex Fabro postea Laines accepit; qui rem denique omnem, uti gesta est, alijs aperuit.

46. Eo ipso in loco fortè Sociorum vnus de mutando vitæ genere secum deliberabat; anceps, vtrum duorum præstaret; apud anachoriten, qui in suburbano tum incolebat, degere; an cum IGNATIO, plurium saluti consulere. Et iam eius consilij capiendi, ad hominem adibat: cum ex itinere, monstris, ac nescio quibus spectrorum laruis, exterritus, ad IGNATIVUM continuo recurrit. Qui arcano Socij diuinitus perspecto, subintranti, *Modice*, inquit, *fidei, quare dubitasti?* Atque ijs illi verbis, omnis continuo fuit dubitatio exempta. Nam propositum deinde tenuit,

tenuit, atque ad extremum spiritum cum IGNATIO perseueravit.

47. Romæ Stephanus etiam Baroellus, homo Italus, & recens in Societatem adscitus, vitæ iam suæ desperabat; ob pertinaciam infesti morbi, Medicis adeò ipsis conclamantibus. Abit IGNATIVS, & pro eo litare, ad S. Petri, in Ianiculo, festinat. Comitabatur illum Ribadencira, vt sæpè, & facienti ministrabat. Omnibus peractis, gratijsque pro more habitis, ille Ribadenciræ, *Stephanus*, inquit, *noster in præsentia non occumbet*. Vidimus inde confestim ægro melius esse; eumque dein integrè conualescere, pòst in terram Lusitaniam, pòst in Italiam redire; multosque annos in Societate superstitem piè sancteque degere.

48. Doctor Arroura, nobilis vir, Barcinone clarus, Catholici Regis Legatus, narrando, quàm familiariter IGNATIO vsus fuerit, Ego obuiam eum, inquit, Romæ ab Arâ Cæli habebam, manu litte-

litteras gestantem, quas Franciscus ei Borgia dederat, Gandiæ tum Dux, & pro Rege Catalauniæ, perque id tempus matrimonio adhuc vinctus. Ibi in me intuens, *Quis crederet, inquit, Virum hunc principem, qui has ad me scripsit, Romam olim venturum, nostramque familiam hic ducturum?* Id quod deinde functâ coniuge factum. Quippe Societatem ingressus, longè post, Tertius ab IGNATIO Generalis renuntiatur.

49. Idem hic Michaël Arrovi-
ra iuratus pro testimonio dixit, ad-
lescentem se, ac de instituendâ vi-
tâ dubium, denique vxorem duce-
re decreuisse. Idque consilium, etsi
omnibus clam habuerit, ad IGNA-
TIVM tamen emanasse. Qui ei,
scire se iam illius arcanum, osten-
dens: Sed tu ô quomodo flebis,
inquit, quasque in miserias te mox
videbis præcipitem isse? Quæ ex
amissim, vt prædixerat, omnia
contigere. Aliàs Agnam quoque
Pasqualem è viuis exiisse, IGNA-

TIO Romæ nuntiabatur. Qui rogatus pro eâ preces vt nuncuparet, iam prius id se comperisse, quàm litteræ resignarentur, respondit. Sed AGNAM de cetero sui securam, inter Cælites iam incolere.

50. Paulus deinde Pontifex III. Collegio Patauino reditus quosdam à Cœnobio S. Magdalenzæ annuos addixerat. Eo in negotio curabat fortè Venetijs Laines: & compertis vndique difficultatibus, magnique nominis aduersarijs absterritus, dedit ad IGNATIVUM litteras, monuitque vt pro rei desperatæ successu sacrificaret; nam humanæ opis reliquum nihil videri. Gessit morem roganti Pater, ipsoque Magnæ Virginis natali fecit: & bonum animum habere iusso, rescripsit: namque id eum pro certo, quod vellet, impetrasse. Octauâ postmodum luce, cum admiratione illorum quos rei illius publicæ consuetudo non fugeret, res habuit euentum.

51. Huic

51. Huic eidem Laini prædixit, fore, vt sibi successor in summâ Societatis prouinciâ daretur. Hieronymum quoque Natalem, cum Ludouico Consalo in terram Hispaniam iturum, iusserat quàm primum conscensâ nauî soluere, habituros vtrumque expeditam navigationem. Nec aliter accidit: & hieme ipsâ feliciter traiecere.

52. Haud minor difficultas Collegium Germanicum premebat; sed idem fuit de prospero successu vates. Quippe laborabat id vltimâ penuriâ, nec allucebat vsquam vlla subsidij spes. Quare de Purpurato Senatu monuere aliqui Patrem, cœpta omitteret, nullo consilio rem tam difficilem continuaturum. Negare interim ille, atque in proposito perseuerare: quin etiam l'reuî futurum dicere, vt Collegio rebus omnibus abundè prospiceretur, neque egestati porrò locus esset. Secutus est inde Gregorius XIII. qui ijs opibus locupletauit Collegium, vt nul-

lâ re hodie videatur indigere.

53. In altero item Collegio, quod Romanum appellamus, istis haud dissimilia contigere. Nam necessitatibus tenebatur, quantis vt humanitus liberaretur, fieri posse vix crederes. Sed dedit in preces se Pater, iussitque mox otiosos ab hoc metu nos esse: DEVM paucis post mensibus opportunè prouisurum. Id quod copiosè, nec aliquando sine miraculi specie, factum, donec nouissimè idem Gregorius Pontifex reditibus suis illud stabiliiuit. Talia præsensit compluria prædixitque IGNATIVS, ita vt de futuris ipse numquam falleretur.



S. IGNATII MIRACVLA.

LIBER TERTIVS.

IGNATIVS *dæmones malos*
exagitat. CAP. I.



XIMIIS IGNATIVS
quà in vitâ, quà pòst
mortem, miraculis in-
claruit. Ea instru-
mento iam publico
testibusque firmata, sic à me con-
scribentur, vt ijs ferè, quæ relata
iam suprâ fuere, omissis, illa et-
iam, quæ inter ostenta, & vatici-
nationes, aut alia hoc genus admi-
randa ducuntur, nihilo hîc magis
repetantur.

I. Principio magnum eius im-
perium in Genios rebelles prauos-
que valuit; qui de odio in IGNA-
TIVM non obscure confessi, ma-
gnis sæpè tempestatibus nequid-

K 3

quana

quam detonuere. Nam ei Man-
resæ, quod suprâ retulimus, in ve-
nustiori schemate certatim illude-
re parabant: quos tamen agnitos
prior ipse dexteriorque eludebat.
Pòst in itinere, ac tum Parisijs,
tum Romæ, mutatis ludibrijs de-
formes oppidò, & spectri fœdissi-
mi imagines induerunt, vt terre-
rent; quibus tamen ille adeò non
terrebat, vt scipione contemptim
eos peteret, veluti canes exarma-
tos, aut sordidas feles abacturus.
Compluti deinde, inter pauperum
centones assidentem, suis quoque
terroribus frustrâ adorti, semper
succubere.

2. Anno M. D. XLI. audiit Ro-
mæ Petrus Ribadeneira cacoda-
monem ad nomen IGNATII im-
potentiùs solito furentem: nam
vexabat is crudeliter Matthæum
quemdam adolescentem, vetuerat-
que, ne quis IGNATIVM sibi no-
minaret, illum se principem in ho-
stium numero ducere. At eum
IGNATIVS iuuenem allocutus, se-
cum

cum in intimas ædes abduxit; inclusumque, mox libertati confirmavit: quem deinde vegetum ac valentem vidit Petrus in familiam Camaldulensium adscriptum. Adduxerant alij feminam, eodem hoc Stygis inquilino quadriennium habitatam: obtestati, vellet, iuberet monstrum excedere. Negavit IGNATIVS sacris se inauguratum: preces tamen, quod vnum posset, haud ægrè fufurum. Fudit, & feminam à se liberam sospitemque amisit.

3. Anno M. D. LIV. sub Laurentani Collegij initia, Oliuerius Manareus loci Rector, vir religione fama que clarus, magnos ibi memorat tumultus interdium noctuque ab eiusmodi hostibus excitos esse; quibus idemtidem obturbare, & familiam omnem ingenti strepitu confundere, mox formis alijs alijsque se vestire consuerint; ac modò Aethiopum atrore formidabiles occurrere, modò canum feliumque habitus assimilare, tum belluas, vt quæque foedissima erat, obijcere:

quo fiebat, vt nullum inquilinis
 tempus ad quietem relinqueretur.
 Omnibus igitur tentatis quæ Col-
 legio lustrando forent, minus ni-
 hilo profectū est. Sed & sacrificia,
 & piacularis vnda, & diuinorum
 carminum vires, & Lipsana Cæli-
 tum, ac mille talia, frustra fuere.
 Coactis importunitate Oliuerius,
 IGNATIUM rei certiozem per lit-
 teras fecit. Cui ille ita rescripsit, vt
 preces suas eam in rem pollicitus,
 animo erecto, obsidionis solutio-
 nem iuberet expectare. Oliuerius
 receptis litteris, familiam cogit, &
 ijs palàm, in quæ verba IGNA-
 TIUS rescripserit, ostendit. Res
 mira dictu! vt si omnis inferorum
 vis continuò elanguisset, ita, post
 recitatas IGNATII litteras, nullius
 turbæ vestigia reliquere.

4. Hæc IGNATIO viuente et-
 iamnum ac sentiente facta: ab eius
 excessu plura. Nam Drepani mu-
 lierem distinebat insolens hospes.
 Eum, inter euocationes legitimas,
 rogari Ioannes Vega Siciliæ Pro-
 rex

rex iusserat; vbinam IGNATIVS
 noster degeret: qui quidem iam
 tum fortè obierat, re ad exteros
 nondum vulgatâ. Nihil tergiuer-
 fatus hospes, excessisse iam illum
 respondit, eumque hostem quidem
 suum fuisse, ceterum in cælo iam
 sibi locum inter Dominicos &
 Franciscos, Religionum condito-
 res, inuenisse.

5. Anno postea M. D. LXI. vir-
 ginem quamdam adolescentulam
 Senæ habuerunt, eximiè probam,
 & singulari quodam animi can-
 dore insignè; Iacobam Prati dixe-
 re. Ea nobili feminae tum ancilla-
 batur, Antistitis Senensis amitaë;
 atque interim miserè afflictata, af-
 fiduis inferorum spectris & flagris
 subinde concisa, mirisque modis
 crudeliter exercita, prodibat. Ipsos
 annos duodecim valuit intempe-
 ries; nec modus interea, qui malo
 pellendo esset, apparebat. Cœpit
 deniq; puella quamdam IGNATI
 iconem secum, quacumque ince-
 deret, gestare. Enimuerò comper-
 tum

tum est continuò, quanta paruulæ rei vis inesset. Nam manus tartarea redire tum quidem, atque oculis sese eminus ostendere, hostem-que illum suum adhuc clamare, & icona proijcere iubere, aliaque plura furere. Sed in eâ tamen velitatione, nemo erat hostium qui propius accederet, pedemque, ut prius, cum puellâ conferret. Ac ne provocati quidem, ut impetum facerent, quidquam potuerunt. Obiectâ verò monstrataque imagine, ora deformia abdere, hancque oculorum iniuriam queruli deprecari audiebantur. Sed subegit puellam curiositas, experiri, illa immunitas, hostiumque fuga, ab imagine pronasceretur, an aliunde existeret. Ita positâ tantisper icone, se temerè exarmat; confestim quanto id suo malo fecerit, sensura. Nam irruere tota in illam confestim acies, ac plagis atrocibus sæuire, puellamque institerunt usque adeò immaniter cædere, uti à præsentibus potuerit pro mortuâ conclamari. Inde

de
tius
ima
adh
que
stul
ibi
affe
e
nita
&
an
occ
ran
bic
ner
re,
ijde
nia
Sec
per
ver
stre
que
par
niq
nis

de quâ ope muniretur edocta, cautiùs, ne quâ vñquam destitueret imaginem, obseruauit. At illi vario adhuc fremitu circum parietes atque cistas hac illac oberrare; eâ cistulâ semper vnâ intactâ, in quâ ibidem quædam eius Beati effigies asseruabatur.

6. Nec multò aliud, ludi Anconitani Magister, & malum habuit, & mali sui remediũ inuenit. Nam anno M. D. XCIX. domum eius occulti lemures pestilentem fecerant; ac, velut iussi mediastini, cubiculum verrere, lectulum componere, lucernam morientem reficere, gnauiter primò studuerant: mox ijdem, ceu captâ pœnitudine, omnia rursus euertere ac conspurcare. Sed illatâ S. IGNATII icone, repente exturbati omnes hoc genus vernæ; extra adhuc pro cubiculo strepere, quaterere fores, claudereque valuas, & intempestiuè tympana ferire perseuerabant: dum denique & illic defixâ imagine, omnis ædium iniquies conquieuit, hominiquè

miniſque conſtans exinde otium manſit.

7. Romæ prætereà VIII. Id. Iulias anni M. D. XCVII. quo tempore cacodæmon in ſacrâ vrbs æde legitimis deuotionibus vrgebatur; ingreſſus eodem eſt P. Baptiſta Peruſcus noſter, vt ad aras inibi precaretur. Is pro pectore lipſanothecam appêſam geſtabat, quâ præter ceteras Cælitum reliquias, incluſæ etiam IGNATIANÆ ferebantur. Hic ad primum Patris ingreſſum vociferatur Genius, ſe verò uſtulari ab eâ re, quam Pater ſecum intuliſſet. Et pro imperio iuſſus edicere, fatetur, cineres IGNATII eſſe, eius, qui magnus Numinis ſeruus, Societatem IEſu condidiſſet: additque, Beatum illum inter Superos degere, orbi ignotum adhuc, breuî tamen in Cælites palàm referendum. Iniecit Peruſcus lipſanothecam in collum mulieris: mox eiulare hoſpes malus, & ab ijs ſe cineribus vri profeſſus, ex humano corpore exceſſit.

8. In

8. In maiori Balearicâ femi-
nam, annos non minus vndecim,
malus item dæmon miserè infe-
stare, perpetuumque & ludibrium
illam & supplicium dederat. Iam
eî manus in parietem impactas du-
riter exercere, caputque muris illi-
dere; iam totam in aëra sublimem
ferre: modò ita grauem humi de-
figere, vt validissimi quique digi-
tum vnum à terrâ leuare non pos-
sent: repente cum canibus latria-
bat, aut etiam in porcum grunnie-
bat. Ad hæc impos sui femina sæ-
pè sæpius fœdum in modum spu-
mas toto ore egerebat: spectacu-
lum lacrymis prosequendum: &
quod in his tristissimum erat, de-
erat morbo medicina. Sub extre-
mum denique Augustum anni
M. D. XCVIII. Ioannes Pe, Sa-
cerdos, IGNATII syngrapham
intulit, mulierique, sensibus iam
omnibus destitutæ, imposuit. Quæ
confestim cœpit insolentiùs mo-
ueri, datisque toto corpore miræ
rei indicijs, impotenter insanire.
Sed

Sed mox inter eos gestus migravit
 obfessor, & liberam incolumemque
 feminam omisit. Illa de frequen-
 tiâ hominum paullum seducta,
 gratias Numini pro libertate, per
 IGNATIVM receptâ, persoluit.

9. Puellam in agro Senensi,
 Vlnam, Gratiano Galatio geni-
 tam, anno *xxcix.* eadem spectra
 vehementer perturbauerant. Nam
 crebra illi occursabant, atq; ad fla-
 gitium infame cum percellere non
 possent, atrociter multabant: pla-
 garum vibicibus in contuso cor-
 pore relictis. Petijt illa, reperitque
 in IGNATII imagine tutelam.

10. Sed annus sæcularis *M. dc.*
 tragice rei multò grauißimum spe-
 ctaculum præbuit. Seriem eius alijs
 prolixè perscriptam, ego in com-
 pendio hîc, quàm verissimè po-
 test, commemorabo. Mutinæ quat-
 tuor degebant sorores, nobili loco,
 & claro genere puellæ; earum vna
 nuptui data, reliquæ virgines per-
 stiterè. Hæ omnes cum virgine
 consobrinâ, complures annos in-
 fanda

fanda quædam ac deploranda sty-
gis ludibria perpetiebantur. Erat
intus hostium acies ingens, & assi-
duis iniurijs intenta. Sed puellæ
plerumque agræ decumbebant, à
morbo, Medicis omnibus iuxtà
nouo ac desperato. Hæ interim
sublimes attollebantur, vt ab alto
præcípites agerentur: interim pe-
netralibus intimis inclusæ discer-
pebantur lacerabanturque. Non
vestes illæ, non capillos, non cor-
pora integra retinere: neque adeò
cauere poterant, quin terræ, inter
salutis capitisque discrimen, affli-
ctarentur. Quin etiam vapulare
prius non desiere, quàm excita
strepitu familia, suppetias inno-
centiæ ferret.

Pollebant illæ ceteroqui non
exiguas virtutibus, inque honestâ
domo educatæ, optimis moribus
formabantur. Tamen ea fuit ho-
stium licentia, vt sæpè verba coge-
rentur impia & tetra quædam in
Superos conuitia spargere. Et o-
portuit eas sibi vim incredibilem
affer-

afferre, si quando ad preces, Deique laudes aut dicendas aut audiendas accederent. Sacris verò assistere, ea demum res extremi supplicij credebatur. Ibi humi exanimis iacere, ibi rursus immanè vociferari, nullisq̄ue propè consilijs retineri posse. Quoties super noxijs confiteri decretum erat, hîc lingua titubare, verba hæere, vires animusq̄ue miseras deficere, ipsæ in iniuriam sacrorû linguas fœdum egerere; & , quâ vnâ re præcipuè sollicitabantur, impuris facibus honestus virginum animus vstulari. Nec cacodæmones, sacro Iure citati, diffitebantur, id se vnum spectasse, vt puellas, ereptâ honestate, in animi corporisq̄ue periculum impellerent: verum, quod crebro pioq̄ue Sacramentorum vsu consuessent, frustra se fuisse.

Ad hæc parum habuere scelesti, solas illas turbare, nisi ceteram quoque familiam lacerarent. Nupta quippe soror filium alebat, menses quattuordecim natû; quem
se,

se, ludibrio matris, occisuros minitabantur, diemque cædi faciendæ constituerunt. Cetera mendaces, hîc solum, cum ingenti domus luctu, in nullo fefellerunt. DEI occulta hæc & abdita consilia fuere. Interea loci nihil cessatum est, & vndique opem cælestem accire multi laborarunt. Sacrificia, preces, lustralis vnda, Cælitum Lipsana, euocationes legitimæ, aliaque omnia religioni concessa, nihil profecerant. Denique Sacerdotum proborum & ascetarum insignium labore diu fatigatæ, ad ædis Lauretanæ incunabula, aliaque loca, trophæis contra inferos inclyta, nequidquam deportantur. Nempe DEVS alium huic morbo medicum destinarat.

Audijt rem eius Collegij Præses, & conditionem virginum miseratus, constituit, re ad DEVM relatâ, illas accedere. Ita secum effigiem IGNATII, erga quam ipse magnopere afficiebatur, defert: & cubiculum ingressus, vbi fortè Sacerdo-

L

cerdo-

cerdotis imperio tum inferi exagitantur, suspendit de pariete, quam dixi, imaginem, supplexque ad preces incumbit. Ecce autem, nondum, quid ageretur, cuiquam edixerat, cum stygij cœperunt inquilini conclamare, & barbaro stridore, eam verò imaginem IGNATII esse, dicere, seque ab eâ vehementissimè torqueri. Inde impatientes conuitijs illum carpere, & velut depilem senem, claudumque & cæcum incessere. Causam conuitij aperire à Sacerdote coacti, responderunt, IGNATIVUM, cum viveret, glabrum caluumque fuisse: & inæqualibus tibijs, alteroque crure debilitatum incessisse: cetera verò, cæcutientem idcirco appellasse, quòd per vberes lacrymas, oculorum aciem sibi obtudisset. Malo deinde suo factum querebantur, quòd ex ultimâ Hispaniâ ad cruciandos se viuens olim, iam etiam functus, occurrisset. Inde ex vnus corpore multi simul exturbati, puellam solo affixerunt.

Secun-

Secundum hæc, visa est ceteris etiã
 fororibus spes opis allucere. Quare
 tota domus simul ad IGNATIVM
 versa, anniuersarium eius peruigi-
 lio ieiunium nuucupat, & diem in-
 super natalem sibi festum fore. Eo
 tempore Romã profectus Augu-
 stinus Viualdus noster, Sacerdos,
 Vrbi Mutinæ pro Concionatore
 futurus, attulit secum lipfanothe-
 cam, in quã cū alijs & IGNATIA-
 NAE Reliquiæ condebantur. Hac
 proin clanculò in cubile illatã, suc-
 clamant inferi, ea verò IGNATII
 Lipsana esse: designant, quis illa,
 atque vnde importarit: testati, gra-
 uibus se supplicijs tortos, sic tan-
 dem exturbatum iri. Nempe de-
 cretum DEO esse, hoc trophæum
 IGNATIO statuere.

Alio die (nam pluribus conti-
 nuabantur hi ludi) principũ Ge-
 niorum vnus, antequam emigra-
 ret, vbi in IGNATIVM aliquam-
 diu procaciter illuserat, subactus à
 Numine est, magno cum pudore
 fateri, quantum ab vno illius offe-

miser ambureretur, cœpitque in ipso excessu ter eundem S A N C T V M proclamare: sanctique IGNATII, cum modestiâ & potentiâ, tum præcipuo erga DEI matrem studio, in fugam compelli se, dicere. Aliàs item, cum victos se denique sensere, hanc tamen IGNATIO gloriam inuidebant, ne vni ei magis, quàm alijs cessisse crederentur. Quapropter eorum Cœlitum precibus exigi se mentiebantur, quorum maximè clientes eæ se virgines prædicabant.

Sed sub egressum adacti suum ipsi mendacium refellere, IGNATIVUM victorem fatebantur, eiusque vnius operâ uti DEVM in solvendâ obsidione constituisse. Inter hæc rabiosè vociferati, Orco suas vires opprobrabant, qui chartulæ picti Sacerdotis nequiret obfistere. Totâ deinceps die euocati cum pertinaciter cessuros negarent, ni prius IGNATIO supplicaretur, DEVM id velle causlati; cœpit illis Sacerdos PRO MERITIS

TIS IGNATII fugam imperare. Hic enimverò nullâ interpositâ morâ omnes ad vnum excessere. Interdum miserandis clamoribus aduersus DEVM dequesti, qui, quâ gloriâ se priuasset, claudum vtique homuncionem honestaret.

Menses non minùs duos ita dimicatum est, dum prorsus de omnibus triumpharetur. Quam certè moram non Superiorum imbecillitati tradit imputandam Bernardus; sed eò solùm fieri, quò planius cùm Stygis potentia, tum exigentis victoria, cognoscantur. Ita post alterum cœpti belli mensem, puellæ, quas diximus, omnes omnibus molestijs obsidionis perfunctæ, ad se ipsæ redierunt. Nec verò imagines solæ cinerésve IGNATII inferis diuersoribus terrori fuere: sed liber quoque super eius vitâ conscriptus, cùm capitibus earum imponeretur, vel in sinum inditus, palâmve lectus esset, hostes perdomabat.

IGNATIVS *animorum morbos*
curat. CAP. II.

II. QVANTVM IGNATIO
 contra inferos licuerit,
 haectenus est narratum. Idem haud
 minori imperio hominum quoque
 animos versabat, adeò vt non vo-
 lubili verborum copiâ, sed graui-
 bus momentis, contumaces facil-
 limè flecteret; animiq̃ue nubes se-
 renare, & pectoris ærumnas æ-
 gritudinesq̃ue pellere crederetur.
 Isaacus quidam, gente Iudæus,
 domi nostræ tantisper attineba-
 tur, dum appositis ad fidem præ-
 ceptionibus erudiretur. Is repen-
 tē, ceu in furorem actus, seque om-
 nia alia malle professus, missio-
 nem postulabat. Sensere in eo re-
 tinendo, actum se agere, ceteri:
 at consultus IGNATIVS, *Ad me*
prius, inquit, *adducitor.* Factum.
 Ibi tribus ad eum verbis, ISAACE
 NOBISCVM MANE, hominem
 cōtinuò in potestate habuit. Nam
 inde mutatus, ac longè iam alius,
 placi-

placidissimè, dum Christiano lauacro tingeretur, permansit.

12. Ioannes deinde Paulus, IGNATII Socius, aliquando vehementibus turbis angebatur, quas ob inanem peccati metum malus illi dæmon conciuerat. Nullum misero ne respirandi quidem spatium suppetebat; & preces & corporis afflictationes nihil expedire, neque in sacrorum usu quies inueniebatur. Eo accidit, vt sollicitus curâ se ipse conficeret, & mortuo quàm uiuo propior squalleret. Communicauit eam ille rem cum IGNATIO, qui verbis non plus duobus, otium menti omne reddidit, æstumque fluctuantium curarum sedauit.

13. Obstinarat animum alius adolescens, seque consilijs eius planè aduersum ostenderat. Tum autem ad verbulum vnum, quo contumacem IGNATIUS compellarat, cœpit clarâ voce clamare, ac se in eius auctoritate futurum promittere: quòd aliter ob incredibili-

lem animi sui motum, quem tunc repentè sentiebat, haud posset.

14. Idem iste grauitè perturbatus, cœptamque religionem propemodum eiecturus, animum induxit, generali noxarum confessione se apud IGNATIUM purgare. Quem ille monitum, ne DEO secundum tot beneficia ingratus viueret, illicò mutauit; itaque in proposito stabilijt, vt porro nullâ prioris mali cogitatione infestaretur. Compluria in hunc modum memorari mihi possent, vt de eo rectè B. Franciscus Borgia, magno iudicio ac religione vir, dixerit, LOQUEBATVR TAMQVAM POTESTATEM HABENS; quippe qui veluti manu animos audientium verteret, pæneque pro arbitrio suo moueret. Quod quidem pluris esse meritò Bernardus censuit, cum Malachias antistes feminam immodicè ferocem composuisset; atque, cum elatum hominem à funere in viuos reduceret. Verum nos ad alia eius admiranda,

da, ab excessu præsertim patrata:
atque his ipsis fermè annis gesta,
quibus de IGNATIO consecrando
laboratum est, diuertamus.

IGNATII *miracula Romæ ferè
patrata.* CAP. III.

15. **Q**VO temporis momento
IGNATIVUS viuere desie-
rat, eo apud Margaritam Liliam,
feminam Bononiæ nobilem ac co-
piosam, idem conspectus palàm
est, fulgentibus circum radijs; se-
què ei decessisse significans, mo-
nuit vt ipsa Societatem porrò fo-
ueret ac tueretur. Quæ illicò ad
Franciscum Palmium, eius Col-
legij tum Præsidem, pro certo re-
tulit, vixisse IGNATIVUM, sibi que
liquidò visum esse. Quem & ijs
coloribus descripsit, vt si viuentem
familiariter nouisset, re autem verâ
numquam antea conspectum. Sed
non habita narranti fides, donec
allato nuntio, dies & hora docue-
re, verum dixisse.

16. Kalendis deinde Sextilibus,

L 5

quo

quo die funus elatum est, inter frequentiam accurrentium visentiumque, Bernardina quædam, proba mulier, & Societati benigna, spectabatur. Cuius filiam, annos natam quattuordecim, strumæ periculosè deformauerant. Et magnam partem facultates suas bona mater expenderat, vt filia valetudinem Medici accurarent. Sed rebus in dies peioribus, educit domo puellam; cupida funeris, quod efferebatur, tangendi, filia certam inde salutem pollicita. Verùm extrema conanti, vt accederet, nihil successit; nempe ingens hominum turba se vndique obijciebat. Ad aliud igitur consilium versa, laborat aliquod functi Patris pignus capere. Id denique nacta, in colulum puellæ iniicit, superque infesta vlcera imponit. Sic consecuta, quam mater sperarat, est sanitas; & mirantibus conscijs, filia integrè conualefcit.

17. Aliquot pòst annis, cùm pridie Kalend. Augusti corpus eius
primò

primò exhumatum, alio in loco reponeretur, biduo toto suauissimarum vocum concentiones in eius conditorio sunt auditæ.

18. Drusilla etiam Tursellina, nobili loco femina, è febris graui-ter laborabat, quam ipsam capitis haud exigui dolores infestiores reddiderunt. Multis consilijs ad frangendam morbi pertinaciam infeliciter adhibitis, animaduersum est, mali vim prolixius interim crescere. Visum igitur, fronti cineres IGNATIANOS imponere. Nec sefellit euentus, & ægra ex inualetudine mox respirauit.

19. Ioanna Ursina, puella etiam- dum lactens, periculosè tussiebat; neque iam lac ducere, neque adeò quibat animam recipere: cum Cornelia puellæ mater, princeps femina maturauit IGNATIO infantis valetudinem commendare; precata, ne qua rei mora esset, quò planius omnes ab IGNATIO adiutã esse, cognoscerent. Lam puella noctem vnã diemque dimidium

dium infomnis duxerat : quæ tamen secundum hæc vota , illicò dormire , tussique post libera ad officium redire, atque vbera cœpit reposcere. Fixa est eam in rem pro IGNATII sepulchro tabella, opis rogatæ acceptæque index.

20. Eodem tempore Anna fuit Rogeria , cui intestinus aurium strepitus caput miserè obtundebat: isque tantus ac tam diuturnus (annuum propè tulerat) vt auris dexteræ vsum omnem illi corruperit. In eam corporis partem cum quædam IGNATII pignora immisisset, votoque anniuersarium ieiunium, sub eius natalem, ac postridie sacram Synaxin celebrare decreuisset; pristinam valetudinem, sedato aurium tinnitu, recuperauit.

21. Domesticum est quod subiungo. Michaël Vasques (vir in Societate quattuor vota professus, ac tum in Romano Collegio studijs præfectus) die quodam Lunæ anni M. D. XCIX. incredibili lateris renamque dolore vexari est cœptus,

cœptus, cui perferendo iam ipse
 vix esset. Diffiuebat gelido sudore,
 omnique sensu propemodum de-
 fectus, victurum se desperabat.
 Multis Medicorum suppetijs, quæ
 vndique arcessiebantur, id vnum
 visus proficere, vt valescere dolor
 idemtidem crederetur. In eo dis-
 crimine Michaël allatos IGNA-
 TII pulueres piè deueneratus, ei se
 commendat. Tunc Reliquijs illuc
 admotis, vbi vehementissimè do-
 lor sæuiebat, sentit cruciatum inde
 confestim refugere: etsi idem in
 locis nondum contactis, totus re-
 staret. Igitur singillatim, omnes
 tentare insistit partes: omnesque,
 quo ordine tetigit, deinceps persua-
 dat, donec morbi indicium se nus-
 quam vllum ostendebat. Tum ve-
 rò post quartam quintamve ho-
 ram, cum nullo doloris sensu,
 cruenta lapidum fragmina eniti-
 tur. Ea, quòd carnis velut tunicu-
 lis erant implexa, indicium Medi-
 cis fecere, lapidem occultum, Li-
 psanorum vi ruptum quidem, sed,
 pro

pro eo quàm erat acutus, intimos
 meatus grauitè fauciaſſe. Verùm
 inter hæc ſurrexit illicò æger, ſecùs
 ac multi futurum æſtimarant : qui
 cenſuerunt idcirco, IGNATII pre-
 cibus rem, non humanâ ope, per-
 petratam. Et fortè negotium ei
 tunc Patri obuenerat, curâdi apud
 Cardinales de beato Parente cæ-
 leſtibus honoribus donando. Vt
 alienum minimè ſit ſuſpicari, hac
 morbi violentiâ tam repentinâ ac
 difficili, eò Michaëlem laborare
 permiſſum ; quo expertus per ſe
 ipſe IGNATII vires, ſtudioſius
 ſuam vicem in accurando negotio
 fungeretur.

22. Romæ eodem anno matro-
 nam cancer obſederat, & vber al-
 terum malignâ peſte populatus,
 iam haud diu à vitâ petendâ tem-
 peraturus credebatur. At illa ſe ad
 IGNATII ſepulchrum conſultò
 abiicit ; & aliquamdiu opem pre-
 cata, breuî poſt præſtitam ſenſit.
 Nam in paucis diebus correctâ
 mamilla eſt, & peſtilens exinde
 carci-

carcinoma sublatum. Femina eius rei indicium appendit argentum, in mamillæ speciem factum, largeque inauratum. Nec ingratus Medico maritus, de telâ argenteâ peristroma dedicauit.

23. Oriëntia postremò Casalia vterum ferebat, sed infelix nec partum (quippe iam ante incunabula emortuum) nec vitam sperare ausa; ad syngrapham IGNATII contactam, præmaturum funus eiecit; ipsa incolumis euasit.

IGNATII *miracula per reliquam Italiam facta.* CAP. IV.

24. **D**VM hæc interim Romæ geruntur, reliquam Italiam paribus miraculis IGNATIVS compleuit. In agro Lauretano sexennem puerum Medici in morbo deposuerant: cui de amiculo IGNATII centones iniecti, precesque pro eo susceptæ, medicam artē vicerunt. Quippe cœpit ocyus valescere puer, planeque à funere, quod timebatur, reuixit.

25. Ibi -

25. Ibidem vir nobilis Horatius Leopardus, per eiusdē anni Octobrem, dyfuriā, & cruciatu nephritico miserè torquebatur; vt nihil remedij videretur iam superare. In eo statu supplex Matrem virginem sollicitat, vti ob IGNATII merita, desperato opituletur; simul ipsum IGNATIVM, vt sibi patrocinetur, implorat. Non intercessit dici momentum, &, ecce tibi, dolor vndique remittere: & aquam Horatius petere, & sabuli vberem copiam fundere, lapidumq; fragmina incepit moliri. Quibus omnibus egestis, facilè deinde ex morbo conualuit.

26. Eodem & tempore & loco Leucadia, Pompeij Georgij vxor, mensibus quinque perpetuis cum difficili ægritudine conflictabatur. Inter ceteras pestes vehemens illam cordis palpitatio vrgebat. Sed omnem hanc dolorum aciem, amiculi lacinia, quā IGNATIVS vti fueuerat, primo statim contactu exanimauit.

27. Hæc

ian
gu
rat
me
tuis
Mi
ste
pro
ten
ber
liur
Na
qua
te i
2
Ma
cun
spe
tit
con
hen
mer
2
mer
na
fuit.

27. Hæc ipsa Leucadia nonum iam mensem grauida, libras sanguinis viginti de corpore profuderat. Inde viribus, & ipsis propemodum sensibus defecta, quo potuit pacto S. IGNATIVM inuitat. Mirum creditu! confestim subsistere sanguis, & illa ad se redire, prorsumque reuiuiscere. Tum autem in enixu cum natura succumberet, è cælo idem perstitit auxilium vocare; idemque impetrauit. Nam edito per indolentiam fætu, quamquam eo extincto, ipsa certè incolumis euasit.

28. Matronæ cuidam Isabellæ, Maceratensis Antistitis propinquæ, cum animam ageret, nihilque vitæ sperari iam posset, inopinato adstitit IGNATIVS; eamque breuî conualiturâ pollicitus, manuprehendit; lectuloque surgere, & DEO memores iussit gratias habere.

29. Paullò ante hanc Iunius mensis Ioannæ Arragoniæ, femine Principi, propemodū funestus fuit. Hæc Neapoli diu omnium

M

Medi-

Medicorum ingenijs fatigatis, totos quatuor menses actum egerat: iamq; acerbissimis doloribus, intumescente mamillâ, neque ars mederi, nec natura quibat. Igitur salubriori consilio, iussit humanam opem valere, seseque ad IGNATIUM precadum recepit. Et mox eius imagine (quam à matre acceperat) pupillis impositâ, affecto corpori consuluit. Quippe nō dies, non nox intercessit; cum resedisse tumorem, & valere mamillam persensit. Quæ anno deinde sæculari Romam profecta, grati animi tabulam argenteam, cum quattuor cereis ad eius sepulchrū deposuit.

30. Mense Nouembri Franciscus Blasius, vir Nolæ nobilis, quod præter grauissimas capitis & ventriculi iniurias, feбри pestilente vretur, metum imminentis periculi Medicis incusserat. Quē Zenobia Tolfia mater hortata est, capiti ægro Lipsana IGNATIANI cineris inijceret; eiusque patroni subsidium postularet. Paruit monenti
Blas-

Blasius, seque facili momento omnibus morbi incommodis exemit.

31. Lecci, in prouinciâ Apuliâ, pleuritis cum acutissimo sensu ancillam inceserat, cui Patientia nomen, & liberalis apud Antoniam Cubellam seruitus erat. Iam propè ceu morituræ funebria parari coepta, cum IGNATII, quas dixi, Reliquiæ inferuntur. At illa mox sopore corripitur, pertinaci prius infomniâ vexatâ. Ibi per quietem IGNATIVS ei coram adstitit, sacerdotali ornatu cõspicius, &, *Filia, inquit, fide DEO, conualuisti.* Inter quæ verba comperit femina ægritudine se morboq; defunctam.

32. Ibidem improuida nutrix alumnulum sibi sinu excidere passa, graue puerulo nocumentum attulerat, quod deinde ipso rei silentio detrimentosius factum; metuente, si casum proderet, ancillâ. Crus quippe dexteri pedis vitium fecerat. Quo denique patefacto, necesse habuit pater (is dynasta Beglibonis erat) ex Medicorum

consilio aliquoties pueruli genu incidere. Quod cum iteratò tentatum absque profectu fuisset, iamque tertiam lanienam indicerent chirurgi; pater spectaculi impatiens, quòd trimulum infantem à vulneris febrisque acerbitate deficere sentiebat, & mox peiorum metuens, recurrit ad Societatis Collegium, quodque de ossibus IGNATII fragmentum impetrauit, id festinus super infantem deponit. Sub hæc redeunt Medici, facturi in ægrum, quod fuerant minati. Sed reperiunt in eo statu puerum, qui sectione iam non egeret. Et ostendit exiguo post intervallo puer se sospitem esse.

35. Turci piraticam factitantes, Natalem Masuccum, de nostra familia Sacerdotem, ac fortè in Siciliam transmittentem, interceperant. Ibi atrox non diu post tempestas exorta, quam euasurum se non crederet, vocare opem IGNATII subigebat. Extemplò vocem accipit: ne quàm dubitaret; naufragio

gio enim haud periturum, neque verò ad Turcorum inhospitalem barbariem peruenturum. Fregit proinde se tempestas, & nauigium ad Insulam Lampadusam intercepte Christiani. Ibi Pater iam vno discrimine defunctus, alterum quoque discussit; cum, IGNATIO patrocinate, vitam libertatemque conseruauit.

34. Panormi Cosmus est Ferrerus, Medici haud incelebris filius: quem trimum adhuc infantem gemina lues, febris ac dysenteria vexabant, parente iam ipso in filij funus spectante. Fortè quædam ibi lacinia erat de sacrâ veste, quæ IGNATIUM olim in sacris operuerat. Hanc desperato admouet. Quod simul ac factum est, puer à funere cœpit reuerti; illoque adhuc die inter omnium læticias mirabiliter conualuit.

35. Anno post sæcularem proximo, vrbs Florentia nocturno incendio periclitata est. Corripuerat ædes aliquot pertinax flamma; &

ventis adspirantibus adiuta, longè lateque furebat. Iamque Donati Galligai tectis se superfuderat, excidium minata. Et pater quidem familias, ut ignem diuerteret, nihil industriæ humanæ omittebat: sed quantæcumque hominum vires, elemento dominanti concessere. Igitur in genua submissus, res spesque suas IGNATIO Xauerioque commendat. Vix commendarat, iamque ambo Cælites ante ora Donati formâ conspicuâ adstiterè; hominemque IGNATIVS præsertim animo bono esse iubet. Cuius voce confirmatus ille, tectum exsuperat, socios in restringendo incendio adiuturus. Sed ibi momento temporis, vniuersam ventorum rabiem posuisse, flammamque vidit, viribus occultis inhibitam, resedisse.

36. Anno eodem cum Petrus Ioannes Cotius, quadrimulus infans, à dysenteriâ simul & febri malè habitus, pro mortuo apud suos Gandiæ comploraretur, votum

tum à consanguinea nuncupatur, si conualesceret puer, vt omne choragium funebre, quod morituro iam parabatur, ante IGNATII imaginem continuo suspenderetur: ipse autem togulâ vesteque per annum vteretur, quali Societas consuevit. Res visu dictuque mira! Eadem adhuc nocte valuit integre puer, dieque postero vagatus per plateas, cum æqualibus currit.

37. Neapoli, anno post millesimum sexcentimum quinto, Hieronymum Magium, virum nobilem, febris quædam continua miserè depascebat: ac ne malo simplici conflictaretur, simul ab asthma fractus, & ab aquâ intercute corpus omne grauiter laborabat. Quid multa? Ea ægro facies erat, vt plus triduum esse victurum, Medici negarent. In re desperata IGNATIO supplicatur, & eiusdem Lipsana quædam ex collo suspenduntur. Hic, ecce tibi! insperato mutari omnia; & Hieronymus ter-

tiâ post horâ sic omnino valescere, vt morbi prioris indicium in corpore toto nullum porrò vîquam appareret.

IGNATII *miracula per Hispanias edita.* CAP. V.

38. CETERVM quæ per terras Hispanias eo tempore patrata sunt miracula, hæc fermè accepimus. Toleti sub annum M. D. LXX. aut LXXI. (nam id incertum habeo) Vegam, hoc nomine mulierẽ, atrox adorta pleuritis, paulò ante noctis crepusculum deiecit. Medici acciti, repentino & vehementi malo terrentur; reque perpensâ, feuerè pronuntiant. Iubent eâ ipsâ nocte Sacris animum procurare, ac testamentum condere: nam die postero haud victuram. Adest fortè, auditque decretorium consultum, vir honesti nominis, Ioannes Messa: qui DEVM ritè precatus, applicat compuncto lateri modicam telæ tramam de vittâ IGNATII noctur-

nocturnâ; itemque corium, quod ille pectori consuerat prætexere; quippe vtrumque spoliū Ioannes religionis causâ circumferebat. Et certè ab eo consilio ita victus est dolor, vt erecta mulier, & seriò in Ioannem intenta, sciscitaretur, ecquid ille fecerit, quo tam facilè omnem à se morbum depulisset.

39. Francisca deinde Bernua, haud vulgari virtute virgo, & solitudinis apprimè retinens, Burgis in S. Dorotheæ asceterio Religionem professa, cum à pleuritide calculoque malè habita, ancipiti periculo teneretur, ad IGNATII denique asylum refugit. Inde res accidit memorabilis, vt toto anno lapides amplius centum, cum modicos tum maiusculos, propè sine vllius doloris sensu, deiecerit.

40. Huic eidem, sub annum M. D. XCIII. postquam sanguinem inhibere ars nequijt, quem rupta pectoris vena per os egerebat: venit in mentem, admouere

laciniam de talari centone; eo ipso, quem supra demonstrauius **IGNATIVM** induisse initio mutatae vitae. Imponit hoc malagma aegro pectori. Nec mora, & velut obice fixo, coercetur impotens cruor, venaeque suae patiens quieuit.

41. Propè aberat, ut Ioannam Gangoram virginē à morbis miserè deformatam Romanus Pontifex legibus eximeret; dum Cœnobium egressa, valetudinem instauraret. Quae tamen prius ad **IGNATII** imaginem procubuit, corporisque affecti curam ei commendauit. Plus sensit impetrasse, quàm orauerat. Nam perfanato iam tum corpore, egressu prætereà virgo non eguit; neque ipsa porro, ut legibus solueretur, permisit.

42. Maria quaedam Auala, legibus S. Francisci auctorata, ærumnis animi grauius angebatur. Quae edocta opem **IGNATII** poscere, si malo inuenire medicum vellet, assensit. Iamque in preces quidem effusa, sed nominis oblita, Tuam, inquit,

inquit, opem, Athanasi, precem-
 que aduoco: tu hanc animi per-
 turbationem, quâ misera interne-
 cor, compone. Sub ea precantis
 verba, vox aliunde accidit, eum
 non *Athanasium*, sed verò IGNA-
 TIVM vocari. Interim ne dubitet,
 quin eo patrono sit ad cupitam
 quietem reditura. Nec dictum li-
 quidiùs, quàm factum: & suam
 virgo tranquillitatem est adepta.

43. Erat homo Belga, Ruffinus
 Lanzarottus, qui pestilèter febrie-
 bat. In eo periculo ægrum omnis
 Medicorum ars operaque deserue-
 re. Sed enim porrecto IGNATII
 autographo, salus ad desperatum
 redijt, & subsequuta est sanitas.
 Quare de lectulo surgit Ruffinus,
 & Medicis oppidò admirantibus
 reuiuiscit.

44. Alium quoque & Burgen-
 ses Medici, quiq̃ Vallisoletto
 acciti venire, deposuerant. Lope-
 sius Castrius is erat, & Leonoram
 Gallam, virginum ibidem Antisti-
 tam, propinquitate sanguinis con-
 tinge-

tingebat. Enim verò postea quàm ille decreuit, in IGNATII fidem tutelamque concedere, & aliquid stipis in pauperes erogare: in fidem acceptus, omnem à se morbi insolentiam ablegauit.

45. Burgis Franciscus Ortizius Sacerdos, ab exuberante genuum & articulorum humore grauius ægrotabat, iamque ipsum quinquennium acerbis doloribus exercitus, postremò ad IGNATII tutelam confugit, nec vllum ab eò die mali vestigium aduertit.

46. Iam de familiâ sancti Augustini Sacerdos, cum per agrum fortè Burgensem pestilens lues inuasisset, charitate inductus, ægris sese emanciparat, vt cæleste Viaticum decessuris ministraret, & opem animis supremã afferret. Sed pridie Idus Nouemb. anni M. D. XCIX. euenerat, vt ad virginẽ quamdam inuiseret, natã annos circiter duos & viginti. Huic febris ac pestilentia hostiliter insultabant. Igitur hortatus Sacerdos, IGNATIO se
suique

fuique curam permitteret, imponit eiusdem icona supra pectus decumbentis. Quo vno subsidio depulsum vulgatæ luis venenum est, & Virgo intra horæ spatia, saluam se postliminiò vidit.

47. Atque vt de pluribus in compendio referam, Burgis, postquam grassanti pestilentia humana remedia defuere, complures memorat Franciscus Ortizius loci Curio, hac nimirum arte conuulisse, vt vndâ, quæ IGNATIANNOS cineres abluisset, cum precibus hausta, integrè restituerentur. Eamque famam liquidò per consciam urbem increbuisse.

48. Idem sibi Sanctius Cantabranensis, idem Abelus à Turri, vterque diuersis in locis Curiones, euenisse contestantur, cum pestilenti contagione tenerentur, eandem sibi aquam pro medicamento fuisse. Et horum quidem posteriori adeò præsentem inde medellam venisse, vt eodem temporis puncto & laticem æger hauserit,
&

& ægritudinem à se propulsarit.

49. Madriti Pater quidam erat Michaël Garfes, summa Societatis vota professus. Hic dextrum oculum vehemēti catarrho obsessum, vsq; cō perdolebat, vt nullum neque in sanguinis deductione neque alijs Medicorum inceptis leuamentum caperet: potius ingrauescere idemtidem dolor visus, & necessariam corpori quietem recusare. Nouissimē ad vesperū quinti Idus Septembres M. D. XCVI. vt acutissimo cruciatu pænē exanimatum Bartholomæus Peres vidit; miseratus hominem, S. I G N A T I I syngrapham ei attulit; quidque aliud fieri vellet, edixit. Michaël promptē in genua se submittit, applicatque oculo autographum, vbi dolor vt maximē sæuebat. Sed enim is repentē omnis discessit. Igitur cubitum abit, placideque in somno acquiescit, manē integer ad prouinciam rediturus. Admirantur Collegam familiares, cum oculo prodire iam sana-

to, quem pridie affectum & liuido
 cruore suffusum conspexissent.

50. Tredecennis puella, Fran-
 cisca Vignola, cum annum fermè
 dolorem, sed eum admodum acu-
 tum in tibiâ pertulisset, inde clau-
 dicare, ac ne sic quidem moliri se,
 sine graui molestiâ quibat. Ea sub
 annum sæcularem, ipsis Ianuarijs
 Kalend. ibat, vt Sacris interesset:
 habitura hunc celeberrimo diei ho-
 norem; etsi cum haud exiguo la-
 bore. Sed ambulationis iuxtâ ac
 frigoris impatiens, inter æstû cre-
 scientis doloris, domum redierat.
 Ibi mater eam tutelæ IGNATII
 piè traditam, syngraphâ, quam se-
 pè diximus, lustrat. Illa subito va-
 lere, seque omni molestiâ solutam
 esse comperit; cœpitque haud se-
 cùs promptè ambulare, quàm si
 numquam ante id hac laborasset.
 Id pater professione Medicus, ce-
 terique miraculum conclamant.
 Et puella cum matre ad gratias
 IGNATIO soluendas postridie
 accurrit, inque templo cerei ana-
 thema-

thematis monumentum ponit.

§ 1. In eadem prouinciâ (Gaudiam nominant) Iosepha Borgia quantos maximos dolores perpetiebatur, qui genu alterum infectum habebât, vt ægrè iam moueretur. Huic desperatis naturæ subsidijs, in mentem venit, IGNATIVM vocare: cuius honori stas preculas quotidie numeraret. Vix triduum fecerat, cùm nox insequens grauius adhuc dolentem consopijt. Tum in quiete vidit beatum ad se IGNATIVM accedere, hilarique & serenâ fronte valetudinem polliceri, iniectâ denique manu omnes morbi reliquias abstergere. Experrecta femina, prius valere se propemodum sensit, quàm valituram esse sperarat: rectaque ad nostram ædem progressa, cereum sigillum ad rei testandæ memoriam adiecit.

§ 2. Sed adhuc illustrius ibi facinus factum. Iosepham Castellam, annorum XL. virginem, morbus comitialis obnoxiam trahebat: iamque

iamque omnem eius valetudinem
 sic attriuerat, vt mentis impotem,
 seseque crudeliter laniantem, vix
 multi etiam inhiherent. Tum au-
 tem, vbi æstus morbi concitior
 aliquando remisisset, intolerabiles
 cruciatus cor opprimebant; & ipsa
 toto corpore fracta contusaque, re-
 liquo ac postero die, non agere
 aliud, ac ne mouere quidem se po-
 terat; merum funus. Cognoscit
 interim Iosepha de miris IGNA-
 TII viribus; & noctu, cum reci-
 procante morbo vehementius for-
 tē, quā solito, concuteretur, vbi
 ad se nonnihil redijt, capit consi-
 lium, opis eius implorandæ. Ita
 precibus, cum illis quas CHRIS-
 TVS tradidit, tum quibus virgi-
 nem Angelus salutauit, vix quin-
 tum peractis, nullū temporis pun-
 ctum intercessit, & iam conualuisse
 femina, neque se vllis prioris fortu-
 nę incommodis obnoxiam esse de-
 prehendit. Quare & pernoctare in
 somno cœpit, quod aliàs per mor-
 bum non licuerat, & diluculo sur-
 gere,

N

gere,

gere, admirante familiâ; cui, quas res ageret, percontanti, valetudinem IGNATIO se acceptam referre clamavit. Cùm verò octauum inde decimùmve diem, colicus ei dolor propè fatalem effecisset; virgo eodem Cælite pro Medico vfa, repentè omnem coli rabiem extinxit. Duas ea propter statuas decerâ fictas in templo destituit: quibus, quod sibi acciderat, apud alios de IGNATIO testaretur.

52. Hæc eadem provincia puellam septennem alebat, quæ febribus & tumente anginâ pertinaciter vexata, quòd biduum binoctiumque nullam quietem sperare, neque verò liquoris guttam sorbere ullam posset, parentes eò iam tendere incipiebant qui filiam sepelirent verius, quàm sanarent. Sed cōspexerat eius amita fortè IGNATIANAM tabulam, quæ tunc parenti (lignariam is factitabat) afferebatur, vt subscudibus eam regulisq̄ue fabrè includeret. Hanc capiti puellæ admouet, spei plena;
 itidem

itidem iubet puellam vouere, si intra quartam horam valesceret, tum se IGNATIO nouemdiuales preces facturam. Vix secum constituerat, cum matrem arcessit puella, clamatque IGNATII beneficio se valere. Inde quam primum edere, atque in morem cuiusque alius bibere perrexit. Postridie cum amitam ad Collegium properat, gratias Medico actura. Vbi utraque votum soluere auspicata, imaginem ceream posuerunt.

53. Barcinone, Isabella Rebel-
la, quæ Virginibus accensa, vitam
in S. Francisci tutelam degebat, ex
gravi casu costam ruperat: mox in-
didem & crus intumescere, & quod
ferè fit, febris cœpit inuadere. Ex-
plorata nequidquam sunt omnia,
& in quærendis remedijs ars om-
nis naturaque deficiebat: interea
crescere dolores, & ægra paula-
tim conclamari: sed apportata de
IGNATIO Reliquiæ; ruptas cor-
poris partes commodum tetigere,
cum ossa continuo coaluere, tam

196 S. IGNATII VITA.
solidè quidem, vt Isabella mox
erecta vestierit se ipsa, & sine cu-
iusquam adminiculo per ædes so-
spes gestiensque obambularit.

IGNATII *miracula in Balearibus*
facta. CAP. VI.

54. **I**NSVLA est Balearica, cui
Inos Maiori nomen dedimus:
ibi sub annum M. D. XCVII. mi-
ra feruntur non ambiguis testibus
perpetrata. Ioanna Clara cogno-
mento Nognera, primæ virtutis
vidua, oculis sensim ambobus de-
fluentibus mœrebat: ac dextero
prius, mox & sinistro amissis, quid
porro ageret, nesciebat. Placuit
nouissimè syngrapham IGNATII
poscere, eamque super oculos, iam
non oculos, deponere. Opportu-
num, feminae consilium. Nam eo
facto arcentur breuî tenebræ, &
oculis dies, quam amiserant, red-
ditur. Cœpitque illa postridie opus
facere, aciemque fixam soli obuer-
tere, tam constanter & intrepidè,
vt nusquam hallucinaretur.

55. La-

55. Laborabat in partu Surreda, nobilis matrona, & multis diebus infelicem nixum continuabat. Auxilio fuit eiusdem **IGNATII** autographum nomen; quo piè contacto, puerum mater incolumem enititur, familiâ effusè gestiente.

56. Eadem apud alteram euenere, quæ Saluatori cuidam nupta: & apud alteram, cui Magdalenaë Suauæ nomen erat. Quibus ambabus in partu impeditis, mors propinquabat, nisi **IGNATIVS** tempori adfuisset. Et hæc quidem, sub allatum nominis **IGNATIANI** chirographum, in lectulo resedit: atque omnibus **IGNATIVM** vocantibus, secundas rupit; foetumque, cui cervix crusculis implexa hæsitabat, emisit: ipsa incolumis, & infans benè habitus validusque euasere. His talibus rerum prodigijs excitati insulam, iam inter huiusmodi pericula, passim **IGNATII** patrociniò se tuentur.

57. Ibidem Hieronymam Rebezam partus difficultas per mul-

tos dies cruciarat, vt non longè mulier ab interitu iam abesset. Magna quippe corporis debilitas, animique crebra defectio, nihil ad illius exitum reliqui fecerant. Aduertit inter hæc, prolem in vtero extinctam, ceu funus viuo tumulto contineri. Quamobrem censent, matrem medicatâ certè buccâ cogendam, vt infelix onus eijciat: et si ne hoc quidem nullo cum periculo videbatur futurum. Hic ipsa sibi mater fit optimi consilij auctor, & syngrapham, quâ de diximus, miræ rei effectricem, iubet applicari. Paretur. Non plus quartam horæ partem expectatum est, cum illa periculi omnis secura, incolamena sobolem edit. Quæ autem res in maiorem admirationem vertit, infantis buccæ, medicamentis fartæ reperiuntur, ijs ipsis, quæ triduo antè mater demiserat. Ea simul ex ore fuere exempta, infans flere, ridere gaudio ceteri inceperunt.

58. Aderat opportunè spectaculo,

culo, Hieronyma Pia, Raphaëlis
 vxor, annos iam XVI. continuos
 magnis faucium doloribus tentata:
 cum glandes inibi enatae omnem
 medicinam recusarent. Iamque
 adeo venerat in consuetudinem,
 non mali perferendi, sed opis de-
 sperandae: cum nouum accessit
 supplicium, à dente, qui instabilis
 longam quotidie molestiam facef-
 febat. Ea denique vbi vidit has
 IGNATIO vires esse, decreuit in-
 didem suppetias rogare. Adhibet
 igitur ori osculoque autographum
 quod diximus, & confestim vane-
 scere omnia, densque in statione
 esse, nec minus quam alij perstare
 coepit. Conciliauit eâ re IGNA-
 TIYS mirè sibi duos coniuges,
 gratosque eosdem sensit.

59. Quare & paullò post altero
 illos beneficio hilarauit. Nam po-
 stridie quàm receperat valetudi-
 nem mater, filius eorum Ioannes
 amisit. Tertianâ quippe, eaque
 non simplici, expugnatum, quarto
 post die necesse fuit vltimis sacris

procurare. Inde violentia morbi mentem adorta, omnem eius usum interceptit. Mox lingua ei incrementum, oculi recedere ac turbidi esse, alia omnia non nisi propinqui funeris præfagia videri. Hic illi nomen, quod suam IGNATIVS manu exarauerat, allatum, precesque inter lacrymas fusæ. Mirum ingens! ipso illo temporis puncto febris exarmatur, mensque & vox ab exilio reuersæ, & oculi in pristinam hilaritatem correcti, tristitia funeris omina mutarunt. Atque hæc circiter horam noctis octauam accidere. Die postero tempestius electulo surgit adolescens, Medicoque iam velut ad exanimem redeunti incolumis occurrit, nullo morbi vestigio notatus.

60. Bartholomæus Constans, vir chirurgiæ peritus, cum equo fortè prolabitur: quo illi casu sinciput elisum infractumque, sæuos præter cetera oculorum dolores pepere-
rat, qui nusquam interquiescere hominem siuere. Alterâ oculi acie
iam

iam emortuâ, alterius modica vita remanserat. Et ferre quantulacumque lucis radium, mors credebatur. In eo statu hominem Medici abiecerant, cum visum est ægroto scriptum IGNATII nomen flagitare. Quo quidem apportato, sed nõdum planè ad lectuli spondam perlato, (mirum creditu) intermittit capitis dolor, lenitur ophthalmia, & funesti frigoris horror, quo caput insolenter hiemabat, soluitur. Ille toto iam corpore animoque mirè quàm lætus, omnia capitis fomenta, oculorumq; splenia reiectat. Tum valuas admittendæ diei recludi imperat, clamatque benè habere se, ac prorsum incolumem esse. Eodem dein habitu ad Collegium accurrit, gratulq; memorat, quid pridie beneficâ IGNATII manu sit consecutus.

61. Huic non est dissimile, quod de Coloniâ Vichâ, Ludouici coniuge, compertû habemus. Ea post trimestres capitis turbas huc miseriarum fuit redacta, vt lusca vnius

N 5 oculi

oculi vsum lumenque amiserit, delapsa supernè palpebrâ, visumque cooperiente. Laborabant Medici certatim & chirurgi, ignauū operculum excitare. Sed omnis eos ars deficiebat. Ita ijs pro damnato tūc oculus habitus. Laboranti scriptum IGNATII nomen imponitur, & eodem simul momento iniussa palpebra se attollit, diemque oculo non impeditum reducit.

62. Eximium illud, & (vti Cardinalis de Monte iudicabat) memorabile in primis fuit, quod apud easdem insulas Ioanni Leidæ euenit. Ei peracutæ febres, super ceteros cruciatus, ingens omnium ciborum fastidium pepererant, vt Medicus duodecimo post die rem periculi plenam esse pronuntiarit, eaque propter censuerit properandum, vt ægro vena quamprimum incideretur. Aeger, qui ab hoc consilio abhorreret, tentandum sibi alium Medicum respondit, atque vnâ cum vxore preces ad B. IGNATIUM concipit. Nocte, quæ proximè

ximè secuta est, obdormit. Sed è somnis improuisò excitatus, voce altâ coniugem vocat. Accurrenti, Non tu vides, inquit, hoc lumen toto cubiculo diffusum? neque ad eò sanatum ab IGNATIO me vides? Mulier gaudio impedita, cum nihil eius luminis videret, inhibuit maritum, ne quâ per intempestam noctem se moueret. Et paruit illi tum quidem; ceterùm, vbi primùm illuxit, è cubili profilit, rectaque ad templum Societatis, nullo morbi vestigio notatus, decurrit.

IGNATII *miracula in Septemtrionibus facta.* CAP. VII.

63. **N**EC omiffa IGNATIO Germania fuit. Monachium, vrbs est in Boicâ celebris, & inter primas Germaniæ clara. Visitur ibi augustâ specie templum, quod Guilielmus Princeps sancto Michaëli Regijs sumptibus erexit; & auro gemmisque ornatum, Societati IESV tradidit. Ara ibidem est IGNATIANA, cum lucente argenteâ

genteâ lampade: Huc perducti ægrorum aliqui: quorum nuperrimè duo, miraculis luculentis, stupente viciniâ, conualuerunt. Rem vtramque Antistes Frisingensis legitimis testibus exploratam, syngrophâ suâ publicè confirmavit. Prior in hunc modum est acta.

Petrum, cognomento Grauium, puerum tredecēnem, repentini dolores oppresserant; quibus poplitū nervi, haud multò aliter quàm si ilignei forent, induruere. Secuta tabes, quæ suras macie deformi extenuatas, flebile spectaculum reddiderat. Quare pedum vsu motuque destitutus, nitendo manibus, ægrè quadrupes reptabat. Mouit commiserationē suā forma infelix. Et aliqui fortè, vt in IGNATII fidem æger concederet, monuere. Simul illi, quis IGNATIVS, quibusque meritis esset, explicant. Eum, si postuletur, clienti non defuturum. Puer facilis suaderi, voto se confestim obstringit, si valetudine per IGNATIVM potiretur, statis diebus

bus conceptas preces ad aram eius
 exsoluere. Annus tum agebatur
 post millesimum sexcentesium
 duodetrigesimus, dies septimus de-
 cimus Calendas Apriles: cum in-
 stitit apud suos puer, vt quoquo
 modo ad templi fores vsque per-
 duceretur. Intrò deinde irreptans,
 vbi suas apud Sacerdotem noxias
 ritè expiauit, dape Eucharisticâ im-
 pertitur: tum ex voto primas pre-
 ces commodùm peregit, cum sen-
 sit, occultâ vi vtrumque poplitem
 valescere, & torpètes antea nervos
 in naturam redire. Quare subit
 experiri, vtrum erigere in pedes
 (quod sex mensibus totis nequie-
 rat) sese iam posset. Conanti, ma-
 trona præsens manum commodat.
 Mox ille exsurgere, rectoque cor-
 pore per templum incedere, & spe-
 ctanti stupentiq; populo sanatum
 sese ostendere. Et remanserat tunc
 quidem nonnihil pristini doloris:
 quamquam id ipsum, superfuso
 lampadis oliuo, paucis diebus om-
 ne euauit. Examinati super hac re
 multi,

multi, qui iurati pro testimonio dixerunt scire se, puerum pedibus verè captum fuisse: addiditque vir, chirurgicæ peritus, poplites pueri nervosque diligenter à se inspectos exploratosque prius fuisse: sed eos arte sibi opeque humanâ immedicabiles apparuisse.

64. Puella Dachouij (haud procul Monachio) nata, Anna Wolfcherina dicebatur: ea, incertum quo infortunio (aliqui veneficium suspectabant) repente clauda, pedis dexteri usum omnem amiserat, ut sinistro iam solo, nec nisi agrè niteretur, fulcri subeuntis adminiculo adiuta. Medico res egebat, & sumptu: sed puellam vires opeque defecerant. Ea propter ptochodochio recepta, inter mendicos mensibus quindecim stipe gratuitâ alebatur. Interea per visum IGNATIVS ei, qualis depingi plerumque solet, obijcitur; Sacerdotalem vestem indutus, & alterâ manu librum, altera IESU nomen ostentans. Excitata de somno puella, renar-

renarrat familiæ, quam viri speciem id noctis viderit. Consentunt illicò omnes, IGNATIVUM fuisse: hortantur, cœptis insistat. Non de nihilo id visum esse: proinde spern certam in IGNATII patrocínio collocaret. Puella, quæ ad eum diem de IGNATII formâ, ac ne nomine quidem quidquam inaudisset, votum nuncupat, cerea pedum sigilla ad aram eius suspendere; accepti, si potiretur, memoriam. Sed solvendi huius, quamquam pauperis voti, diu copia non fuit, eò quòd ægra faciendo itineri impar, moliri se ipsa non posset. Acribus tamen stimulis idemtidem acta, vel reptando demum petere Monachium decrevit. Sed inter primos pedum conatus, vires succubere. Igitur defectam, rusticus fortè prætervehens, in curram, quem agebat, sustulit; secumque in urbem vsque humaniter deuexit. Illâ de curru, simul vt licuit, in templum subit: & IGNATIVUM piè venerata, insinuare se patrono, caus-

causamque suam commendare
 cepit. Mox olei paucillum, quo
 partem affectam ungeret, de lam-
 pade sumit. Postridie reducitur, &
 sacris piacularibus lustrata, ante de-
 pictam IGNATII imaginem pro-
 cumbit, precesque pridie ceptas
 instaurat. Inter hæc moliri se inci-
 pit, factura periculum, an pedibus
 insistere iam posset. Neque cepta
 successu caruere. Correcto nervo-
 rum vitio, pedes ad officium re-
 deunt; erigit sese puella, nec fulcri
 prioris indigens, ad summam ædis
 aram per se ipsa contendit, epulo-
 que cælesti illic accumbit. Exinde
 plena gaudij, solutis gratijs do-
 mum discedit; dedicatio prius sub-
 alari fulcro, & in miraculi fidem
 illic relicto. Pertinax & insanabile
 malum id fuerat, si humanis uten-
 dum consilijs fuisset; prout legiti-
 mi testes, iudicesque censuerunt.
 Sed à Medico cælesti victa morbi
 contumacia est.

65. Etiã apud Hungaros IGNA-
 TII patrociniũ increbruit. An-

no M. D. XCIV. apud Turosios
(loci id nomen est) matronam tri-
dium exercuere grauissimi dolo-
res, quos in partu nequidquam to-
lerarat. Nec periculum aberat, ne
moritura traheret infantem, & in-
agnato tumulto sepeliret. In eo ma-
tris prolisque discrimine ad IGNA-
TIVM decurritur: cuius cineribus
vix etiamdum illatis, filium salua
mater enititur, duplicique benefi-
cio, ad gratiam patrono soluen-
dam prouocatur.

IGNATII *miracula apud Indos*
edita. CAP. VIII.

66. **V**ERVM his nihilo minora
fuerunt, quæ in vltimis In-
dijs facta magnis testibus memo-
rantur, Bartholomæus Lupus, pro-
uinciæ nouæ Granatæ Archiepi-
scopus, soluerat. ex insulâ Cubâ.
Ducebat secum è nostris duos, Al-
phonsum Medianum, & Franci-
scum Fogeronum: ad quos (& non
maximum erat nauigium) alij se-
diuersi ordinis plures adiunxere.

O

Iamai-

Iamaica iam in conspectum se dederat, anno M. D. XCVIII. ante IX. Kal. Octob. cum incubait in nauim formidolosi impetus procella, eamque expugnatura, principem malum facile conuellit, & carchesia violenter deiecit, simul vela nauigij vndique perrupit. Nec spatium dabatur nautis, dum sarciri, aut integra reponi possent. Irruebant interim fluctus, & confertim omnia complebant. At vectores depressâ naui (quippe quæ sub vndis potiùs ferretur) omnes iam mortuos se duxere; ac nauarchus Dominicus Rodriques, artem omittere, & quâ tempestas rapiebat, sequi cogebatur: cum nihil salutis reliquum esset, quod à clauo peteretur. Diem solidum tenuit ea maris cælique rabies, sauiorque in horas valescebat: cum placuit postremo, omissis alijs, diuinum Numen placare.

Quare Patres recordati, quàm validum in IGNATII precibus præsidium alijs reperissent, eodem
con-

constituunt refugere; ac magno clamore Antistitem ceterosq; horrantur, quando cœpta omnia irrita forent, idem facere. Incipiunt omnes, & cū effusis lacrymis IGNATIVUM vocant. Repentè exstitit ingens miraculum. Nam illicò venti turbineque posuere: stetitque rebellis vnda: & inter omnium gratulationes, qui sibi reuixisse ab inferis videbantur, nauigiū insperatò emerfit. Antistes iam periculi securus, decreuit Natalem IGNATII festo ritu sacrum habere, quàm primùm auctoritate Romanâ concederetur. Alij rectores, pro suo quisq; studio, alij aliud promiserunt.

67. Ijdem deinde Patres, cū ex Indiarum Coloniâ Hispanias repeterent, non leuius periculum adiere. Nam myoparonem vehementes vndiq; procellæ oppugnabant, aduersis ventis in proram puppimque dimicantibus: interim latera propinquis syrtibus arcebantur. Hic duorum alter, iam experimento doctus, ad IGNATIVUM

vertitur: & quasdam eius Reliquias religiosè in fluctus demergit. Nulla intercessit mora; & ventis languentibus omnis vndarum ferocitas exarmatur.

Iam altero naufragio perfuncti, vt sapiùs se IGNATIO deberent, ijdem in tertium discrimen seruabantur. Ad TERTIAS enim (id Insulæ est nomen) primo diluculo insana turbinum acies nauim adorta, momento huc illucque defiecit: vt omnium oculis mors certissima oberraret. In hac desperatione, alijs humi deiectis & vtrò arcana animi palàm proidentibus: Franciscus denuò sacros IGNATII cineres in vndas abiicit. Vix eas contigerant, iam vndique venti quiescere; subsidere fluctus, sol ipse diesque, discussâ nubium nocte, redire. Crederes hinc maris iniurias, hinc IGNATII patrociniũ certasse, non vti que experiendum, nisi cogente periculo prouocaretur.

IGNA-

IGNATII *alia quædam admi-
randa.* CAP. IX.

68. FEMINA fuit Inda, quæ im-
puris olim ignibus conflagrat,
ijsq; tam infestis, vt extinguen-
guendis illis esse vix putaretur. Ea
post quàm ad IGNATII cineres
religiosè venerandos animum ap-
plicuit, omne illud libidinis incen-
dium, quo miserrimè depasceba-
tur, ac panè insaniebat, velut affu-
sâ frigidâ confestim restinxit. Sub
idem ferè tempus, loco non vno,
ægros alios IGNATIVS erexit:
alios ab alto in præceps actos ser-
uauit; aut tempestatum iniurijs ia-
ctatos, aut varijs difficultatibus
pressos, opportuno patrocínio mul-
tos defendit.

69. CATACENSE est oppidum,
in eâ parte Italiæ situm, quam
Prouinciam Neapolitanam faci-
mus, Collegio Societatis insigne:
vbi res accidit in primis hodie me-
moranda; quam haud satis scio, ad-
mirationis plus habuisse dicam, an

voluptatis: certè autem ad IGNA-
 TII nomen attulit in tempore non
 leue momentum. Ingenui sangui-
 nis Matrona, cum legitimo toro
 prolem masculam suscepisset, ei-
 que, quòd IGNATII studiosior
 esset, nomen ab illo inditum per-
 quàm vellet, virum habuit suis con-
 silijs pertinaciter aduersum. Gaspar
 is Mariscanus erat, qui pridem
 IRENAEI nomen, quàm IGNA-
 TII non obscure malebat. Loci
 enim patriæq; Tutela IRENAEVS
 habebatur; & quòd eius ibi cine-
 res religiosè coluntur, eum sibi ci-
 uitas omnis patronum adoptauit.
 Igitur viro, quem dixi, in senten-
 tiâ manente, & aduersus IGNA-
 TIVM dimicante, stetit nihilo mo-
 bilior coniux: perguntque vterque
 in incepto, hæc IGNATIVM no-
 minare, maritus IRENAEVM di-
 cere. Inde iurgium, sed, vt inter
 coniuges, familiare. Neque com-
 poni aliter hæc duorum altercatio
 potuit, quàm si puer (quando de
 pertinaciâ partes nihil remittebât)
 vtrius-

vtriusque Diui insignia caperet,
 iunctoque nomine simul IGNA-
 TIVS IRENAEVVS prodiret. Pla-
 cuere conuenta: & mox, gratulan-
 te familiâ, binominis infans salu-
 tatur. At non diu tenuit hæc par-
 tium concordia: nam vt sua cuique
 opinio infederat, ita alterum alte-
 rumve nomen suâ quisque præro-
 gatiuâ iuuabat. Demum rumpun-
 tur vtriusque fœdera: vxor ad in-
 genium reuerfa, puerû numquam,
 nec per se ipsa, nisi IGNATIVM
 appellare: nec vt aliud familia vel-
 let, permittere. Idem in Gaspare
 studium esse in partibus fouendis,
 assiduè suum sibi IRENAEVVM vo-
 care, ac ceteris, ne secus facerent,
 pro imperio edicere. Heris hunc
 in modum pugnantis, ipsa fa-
 milia, vtri se adiungeret, incerta,
 vehementer ambigebat. Iam alter
 in altercando mensis, iam pænè
 tertius abierat, nec spes interim vlla
 dissidij tollendi: cum vsu venit, vt
 per eos fortè dies in consuetudine
 plusculum incalescerent, & porrò
 O 4 litem

litem assiduam pertæsi, vincere
causâ tandē alterutrum optarent.
Igitur erupit aliquando Gaspar, &
ferocior, omittere feminam has ve-
litationes iubet, litemque omnem,
si causæ fideret, ad elingues cunas
sistere: pro utro pronuatiasset in-
fans, is enim uerò vicisse in iure
crederetur. Nondum fari per æta-
tem tunc poterat infans: quippe
quem plus tertium mensem non
attigisse, suprâ docuimus. Accepit
ridiculam conditionem vxor, & in
viri sententiam ituram se, haud
grauatè promittit, si contra se lis
daretur. Accurritur ex compacto
rectâ ad cunas. Ibi Gaspar, filium
fandi rudem, ecquod esse sibi no-
men ipse cupiat, blandè festiueque
percontatur. Has nimirum delicias
facturus pater, superuacuum re-
batur, ab infante responsum ex-
spectare. Cùm, ecce tibi, erigit se
trimestris infantia, & insperatò,
IGNATIUM vocari se velle, diser-
tè respondet. Hic miraculo stupe-
factus hæere pater, sed gaudio ela-

ta gestire mater, & causam ab infante peroratam IGNATIO gratulari. Cederet proinde peruicax maritus, suumque ius ijs permitteret, quos insolentia miraculi defendisset. Gaspar id ostentum non insuper habendum arbitratus, mox ultro in vxoris arbitrium concessit: nec puero solum IGNATII nomen iam indere, sed totum IGNATIO puerum decreuit emancipare.

70. Alterum factum, ac proximo priori pænè geminum, Calaritani obseruarunt. Appetebat dies, quem Pontifex Romanus IGNATIO festum instituerat; iamque adeo eius diei peruigilium suberat, cum ciuitas cœpit in eo tota niti, quæ gaudium, quod ex decretis honoribus capiebat, vberrimè testaretur. Inter cetera conuenit, vt ignes nitrato puluere excitati, utque glandes è tormentis quaquaversum effusæ, urbem festo innoxioque tonitru complerent. Factum. Audiit fragorem crepantium pilarum bimula puella, & continuo

exclamat, *Dies crastinus S. IGNATII natalis erit.* Poterat istud quidem non valdè mirum videri, si suspicio esset, infantem aut edoctam ab aliquo fuisse, aut temerè per seipsam in aliquos de IGNATII colloquentes incidisse: quorum deinde verba (vt blæsa plerumque infantia solet) itidem ipsa conaretur. Nunc satis compertum est, horum omnium nihil fuisse, & IGNATII nomen ad aures puellæ antea numquam vnumquam accidisse: cum ex loci consuetudine non sanè IGNATIVS ille, sed vulgò BEATVS ibi appellaretur. Auxit rei admirationem, quòd ibi tum feminae fortè curabant, earum ædium inquilinæ, quibus ea puellæ vox, neque cum incolarum vsu, neq; cum infantis ætate satis congruere visa. Idcirco admiratæ, & an opinione fallerentur, dubiæ, iteratò ex puellâ sciscitantur, ecquid ea postero die dixisset futurû; Excipit intrepidè puella, & verò *Sacra IGNATIANA* dixisse se, perse-

perseuerat. Ita manifestò intellectum est, occultâ vi puellam moueri: & vbi pro cælitibus loquendum sit, *ora infantium ac lactentium* esse diserta posse.

71. NEAPOLI prætereà pridie quàm IGNATIANA fierent, cuius quidam animum piacularibus facris lustrauerat; riteque procuratus, commodùm è templo discesserat, cum in limine domus cognoscit, amissum esse infantem, fratris filium, annos non plus duos natum. Quippe cœperat primùm hac illac perreptare, ac paullatim ex obseruantium oculis abire: mox (vt incauta est omnis infantia) se ipse amittere. Non aduerterat primum alios hæc eius absentia: post verò quàm cœptus est desiderari puer, sollicitum, præter ceteros, hunc, quem dixi, patrum habuit. Is persequitur continuò errantem, incertus quâ sequeretur. Quippe, quòd in vrbe frequentissima solet, metus erat, ne quâ collisus in turbâ obtereretur; aut nusquam agni-

agnitus, à plagiarijs callidè exciperetur. Ita diu multumque peruagatus, minus nihilo profecit. Venit in mentem demique, forū nundinarium petere, vbi in reliquo mercatu, reperiri etiam quæsitus infans posset. Dum eò decurrit, subit animum, magis ab IGNATIO, cuius ipse Natalem religiosè colere iam cœpisset, opem flagitare. Quare de viâ tantisper ad Societatis ædem diuertit: & ibi conceptis verbis, si puerū incolumem reperisset, institit ad gratas IGNATIO gratias habendas, ieiunium vouere. Secundùm hæc illicò, nescio quæ vox intus audiri: Macte animo esset; imminere quidem puero periculum graue, sed Superis benè iuuantibus, nihil accepturum damni. Homo plenus spei recedit, & quò vocari se sentiebat, eò loci contentè festinat. Ibi vt celeriter anxieque circumspexit, videt (horrendum dictu!) infantem iacere humi effusum, & carpenti rotam ei supra pectus decurrere, & equi calces

calces capiti brachioque insistere.
 Tantum non exanimatus specta-
 culo, cum clamore ad haud dubium
 cadaver accurrit. Verum ecce tibi
 reperit, quod ei promissum fuerat,
 puerum prorsus incolumem, cum
 leuibus tantum vestigijs periculi
 depulsi: ut frons quidem modice
 icta, brachium autem vix tenuiter
 perstrictum, ostenderent & in quo
 discrimine clientulus IGNATIUS
 fuisset, & quam ope patroni seruatus
 euasisset.

73. Superfedeo singulis hic im-
 morari; ne rerum similium (tam-
 etsi magnarum) turbam patientiam
 Lectoris obtundam: cum vel
 solus earum numerus admiratio-
 nem sit habiturus. Nam, quod ex
 actis publicis comperimus, ad Cu-
 riam Romanam relata, imbi que
 approbata fuere miracula amplius
 centum quadraginta, quibus IGNA-
 TIUS merita, velut amplissimis testi-
 bus, signabantur. In his, quinque
 & viginti recensentur, qui de peri-
 culosa lethiferaque aegritudine; de-
 cem

cem alij, qui ab insanabili malo conualuere tredecim, suum sibi visum receperunt. Dentium, & capitis, & ventriculi grauissimos dolores ablegarunt, vnde viginti. Cruciatu renum & calculi quatuor: quatuor alij, vel ab hydrope infecto, vel à paralyfi curati. Pleuritidi vnus, vnus tempestatu subductus. Sex qui ab inferno hospite palàm agitabantur, in libertatem vindicati. Quinque aut à latente vomica, aut serpente cancri carcinomate liberati. Totidem alij faucium anginà soluti: totidem deformibus itumis expediti. Vnum podagra dolores, duos comitialis morbus deiecerant: sed malo dispari, par ab IGNATIO medicina. Venenum alius imprudens hauserat, quod implorato hoc Medico incolumis eiecit. Eiusdem ope alius ab amentia ad mentem redijt. Quinque aut brachijs collisis, aut cruribus ruptis debiles, in integrum restituti. Sex, grauibus plagis faucij, persanati. Plus quindecim in febris

duo-

duodecim puerperæ in partu nixu-
 que difficili ad uitæ, acceptâ IGNA-
 TIO suam & sobolis vitam retule-
 re. Quæ tamen tot beneficia, quàm
 paruis officijs plerique fuerint con-
 secuti, operæ pretium sit narrare.
 Nam agris viginti tribus subscri-
 ptum IG NATII nomen; duobus
 & viginti sola etiam imago, colori-
 bus depicta, salutis fuit. Tres alij su-
 pra viginti, verbulo imploratam
 opem continuò sensere: viginti,
 nuncupato in eius honorem vo-
 to; duodetriginta eius aut cinerum
 aut ossium contactu conualuerunt.
 Aliquos ipsa eius vitæ lectio iuuat.
 Quatuor apparentis præsens ad-
 spectus erexit. Postremò agrorum
 plurimi, cum specum, in quo Man-
 resæ coluerat, religiosè inuississent;
 vncti oleo (quod ex eius lampade,
 ibi suspensâ, sumebatur) indidem
 sani valentesque recesserunt.

73. Hæc omnia pluraque talia,
 quæ sciens prætereo, etsi non in
 vulgaribus IG NATII miraculis
 habentur, vnum tamen præter ce-
 tera

tera egregium multi meritò duxerant; quòd eum videbant à DEO principem eius condendæ Religionis datum, cuius talis inter bonos iuxta ac improbos opera esset futura. Nam ei vtique ad rem tanti nominis audendam efficiendamque, parem DEVS animum indidit. Tum deinde, si quis reputet, quantus ille qualisque de profano milite, & quemadmodum euaserit: quo item vinculo, quamque concordia diuersissima Sociorum ingenia iunxerit: quæ postremò perpessus, & quoties periclitatus, supra humanam fidem durarit, atque vicerit: is nihil profectò nisi perpetuum vitæ miraculum clamitabit.

74. Præterea consilium humano maius mirabitur, quisquis leges ab eo nostræ Religionis latas perpenderit: quæ illas, simul tam similes ceterarum Religionum, & quæ item voluit esse tam diuersas. Adhæc prodigij simile fuerit, familiam eius per vniuersum orbem repente videre propagatam; & prouincijs tribus

bus
do
gin
ne
plu
ctâ
M.
fruc
que
duc
app
sim
ring
grat
cala
dere
nafi
uinc
eius
lam
lum
Sed
cun
alijs

bus ac viginti, Collegijs autem domicilijsque trecentis quinquaginta circumscriptam; idque omne factum cogitare annis non amplius sexaginta: nam tot, ab erectâ Societate ad sæcularem annum M. DC. pernumerantur. Iam si fructus bonis arbitris æstimetur, quem auspice DEO & IGNATII ductu, eius posteritas edidit, facile apparebit, rem admiratione dignissimam esse. Sentiunt pridem & ringuntur hæretici, pij probique gratulantur. Ac nisi erubesceret calamus, promptum foret ostendere, Religionem, mores, Gymnasia, templa, cœnobia, vrbes, provincias, regna, nonnullam ab hac eius familiâ opem accepisse: solamque hæresim ac stygem ei bellum & indixisse semper & fecisse. Sed hæc talia me scribere verecundia non sinit: vix permittat ab alijs audire.

P IGNATII

IGNATII *apud alios existimatio.* CAP. X.

75. **C**OROLLARIUM attexam, & quã præclarè de IGNATIO adhuc superstite senserint multi, paucis ostendam. Nam de familiaribus quidem, Franciscus illum Xaverius (vir suis virtutibus per se clarus, & nuper Sanctorum syllabo publicè inscriptus) ita coluit, vt nomen eius autographum in sinu circumferret, ceu alexicon diuinitus arcendis periculis factum. Qui quoties ad eundem ex Indijs litteras erat daturus, in genua se demittere prius consuevit; argumento, quanti apud Franciscum IGNATIVS esset. Porro qui primus est olim inter Socios adlectus, Petrus Faber (vir quem posset etiam IGNATIVS admirari) hic illum sibi alijsque exemplum virtutis & sanctitatis constituebat. Iacobus autem Laines, beatus item Franciscus Borgias, quos IGNATIO successores dedit Societas, multis

multis egregiè testati sunt, quanti suum parentem facerent. Horum alter dicitabat, DEVM in IGNA-
TIO ea animi ornamenta cernere, quibus mirificè ipse caperetur; ea-
que propter tanta quotidie in eius Socios beneficia profunderet. At-
ter, eius visendi colloquendique, Romam contendere, & primis Sa-
cris operaturus, in domo Loioleâ facere: solumque IGNATII na-
tale venerabundus deosculari ge-
stiebat.

76. Externos autem eius admi-
ratores, viros multos ac magnos
nouimus. In his Pontifices Ma-
ximos Paulum III. & IV. Iu-
lium III. Marcellum II. cuius
& hoc fuit de IGNATIO iudicium,
vt diceret: Maius apud se momen-
tum IGNATII auctoritatem ha-
bere, quam omnes rationes quæ
ab ingenio in contrarium excogi-
tarentur. Gregorius deinde XIII.
& Pius IV. ac V. ea de IGNATIO
eiusque posteris testimonia reli-
quere, quæ (vt denuò fatear) mea

me modestia ruborque ne excr-
bere quidem hinc sinat. Quid po-
stremo Paulus V. quid Gregorius
hoc nomine XV. senserint, mox
infra referemus.

77. Iam in eius laudes etiam
Regum sententiæ consensere: ut
Ferdinandi I. Romanorum: ut
Ioannis III. Lusitanorum. Quo-
rum iste P. Ludouico Consalo sub
annum M. D. LIII. Romam pro-
ficiscenti in mandatis dederat, se-
riò attenteque IGNATIVM con-
sideraret, deque singulis postmo-
dum ad se perscriberet. Quod ille
non segniter exsecutus, Regi de-
inde rescripsit, nullam se neque
diuinarum rerum lectione, neque
quibusuis precibus suis tam arden-
ter ad DEI amorem accendi,
quàm vnus IGNATII diligenti
curiosoque adspectu.

78. Gaspari Quirogæ, amplissi-
mo Cardinali, eidemque Toleta-
no Antistiti, & per totam Hispa-
niam tum Quæsitore, visus eius-
modi vir fuit IGNATIVS, cui ab-
solu-

solutam numeris omnibus perfectionem tribueret, quemque non parcis laudibus, modestum iuxta predicaret ac comem; & patientiam, rerumque mortalium contemptu insignem; tum diuina gloria salutisque humana studiosum, & nullis perturbationibus obnoxium; ut, qui neque latis insolesceret, neque tristibus frangeretur. Gabriel item Cardinalis Palæottus, IGNATIVM Ecclesie lumen appellat, virumque à DEO excitatum, ad Societatem cogendam: quo velut reuiuisceret, noueque sanciretur Rei Christianae disciplina.

79. Ioannem Vegam, Castellæ Præsidentem IGNATIVS ita rapuerat, ut, cum Romæ, in Caroli Cæsaris legatione fungendâ, eo usus familiariter fuisset, ad Societatem postea scripserit, *Beatum sibi videri & Sanctum, & eiusmodi omnino ducem, cuius signa in calo cum Domini ac Francisci trophæis sint constituta.* At Albertus Boiorum Princeps, heros immortalis nominis,

magno sēper affectu erga IGNA-
TIVM ferebatur, scriptisq̄ue ad
eum sepe numero litteris, tamquam
hominem comperit & sanctimonia ve-
nerabatur: ac propter illum, Socie-
tatem in provinciam civitatem-
q̄ue accepit, grauiq̄ue aduersus Ca-
lumniam tutelā fortiter defendit.
Quam optimi Principis volunta-
tem, Serenissima liberorum nepo-
tumq̄ue posteritas, paribus exem-
plis hodieq̄ue prolixè æmulatur.

80. Magnum prætereà eorum
agmen sequitur; qui etsi genere
cum prioribus non sunt confere-
di, eximij tamen nominis, aut san-
ctitatis, non omiserunt de IGNA-
TIO quid sui iudicij esset, ostēdere.
Nā Ioannes Auila, primi nominis
Ecclesiastes, & vir omnino talis, cu-
ius vitam Ludouicus Granatensis
conscribendam sibi virtutis causā
duceret: is, inquam, ita cū IGNA-
TIO se contendebat, vt, (pro eo
quā erat modestus,) *sibi ceu pumi-*
lioni in IGNATIVM gigantem in-
tuenti altissimè diceret suspiciēdum.

81. Ipse

81. Ipse autem Granatensis, testis quantumvis rei idoneus, obstupescere se fatetur, quoties in hoc *virtutum prudentiaque speculum intueatur, quod DEVS cum incredibili mortalium bono, huic orbi temporisq; obiecerit.* Iam nobiles Scriptores, Laurentius Surius in Germaniâ, Ioannes Molanus in Belgicâ, & è Gallis Genebrardus, & inter Anglos Sanderus, mirum est quàm honorificè de IGNATIO scribant. Certè *beatissimum alij virum, & ducem ad Lutheri aciem profligandam creatum; alij hominem diuinum* appellant, & denique eum, *qui consilij sui auctorem impulsoremq; habuerit Deum.*

82. Nec tacuit eundem Italia; quippe quem laudatissimis Thomæ Bozij, Pauli Morgi, Mambriani Rosæ testimonijs ornarit. De quo eodem quid Hispania sentiret, Consalus Iglesias, Alphonsus Villega, Stephanus Garibæus, historici aperuere. Lusitania denique laudatorem dedit Iacobum Pai-

uam, quem eundem & Tridentino Concilio Theologum miserat. Nam hic IGNATIVM variè, nunc *sanctitatis exemplum*, nunc *virum illustrem, admirabilem, orbis huic nostro singulari beneficio concessum* exclamat.

83. Hanc publicam famam non leuiter auxerunt hæretici, aut si quos alios suus in virtutem armauit furor. Qui, quòd IGNATIVM soli omnium pessimè oderunt, nihil aliud proficiunt, quàm vt alij MAGNVM in primis VIRVM, & ipsorum dissimillimum fuisse cogitemus. Officere ipsius nomini grauissimè poterant, si laudassent: nunc argumentum boni est, MALIS DISPLICVISSE.

IGNATIVS *in Sanctos relatus.*

CAP. XI.

84. CETERVM hæc de IGNATII virtutibus miraculisque fama cum plerumque terrarum orbem latè impleffet, multorum desideria incendit, vt cuperèt, publi-

publicos ei honores, quos Cælitibus alijs solemus, decerni. Intercessere aliquamdiu nostri, vsque adeò, vt tabulas votiuas, & anathemata, ad eius sepulchrum à multis certatim aggesta, sæpenuerò sustulerint: donec Baronij, magni Cardinalis, suffragio adiuta populi religio, hanc Societatis modestiam expugnauit. Is die quodam, haud sine diuino (quod creditur) nutu, correptam IGNATII imaginem, ipse suis manibus de templi nostri pariete suspendit, populoque venerandam proposuit. Inde alij super alios ad sacros eius cineres ruere, & corporum animorumque opem non vani poscere; multique aucti acceptis beneficijs indidem abscedere. Excitata tunc ardentius eorum, quos memorauimus, desideria non continuerunt sese, quin deniq; ad Clemètem VIII. Pontificem maximum penetrarent, omnium ordinum consensu.

85. Præijt ab Hispanijs Imperatrix Maria, Caroli V. filia. Se-

cutus germanam Philippus II. & hunc III. vterque Hispani Reges. Tum deinde Margarita Hispaniarum Regina; quæ & Ferrariorum coram, & postmodò per litteras primam hanc principemque inire gratiam à Sede Apostolicâ magnis studijs flagitarat. Idem huius Reginae mater, Austriae princeps, ingentis animi ac pietatis heroina: idem Sigismundus III. Poloniae Rex, contentis precibus petiere. Post ubi Clementi successor datus est Paulus V. eadem postulata cum aliorum Principum, tum Henrici quoque Galliarum Regis, fuisse. In idem certamen pro IGNATIO venire clarissima Regna Castellæ & Aragoniæ: in idem Catalauni & Cantabri consenserunt. Nihilo minoribus studijs Toletanus, Hispalensis, Granatensis Antistites exarserunt: & secundum hos, qui Cæsaraugustæ, qui que Barcinone clauum Reipub. tenuerunt, numquam hoc postulaturi, ni IGNATII sanctitatem pro
com-

com
libu
est,
mo
auct
Pau
exce
gnat
est,
lãm
tur.
nan
Rex
ceps
quid
& si
ti, h
bus
omr
labo
bus
set;
rum
fore
bus
qua
pura

comperto habuissent. Quibus ta-
 libus viris id concessum denique
 est, vt IGNATIVS anno millesi-
 mo sexcentesimo nono, BEATVS,
 auctoritate supremâ renuntiaretur.
 Paullum Pontificem Gregorius
 excepit XV. Enimuerò tum pu-
 gnatum votis omnium terrarum
 est, vt etiam inter SANCTOS pa-
 lām adscriptus, coli porrò iubere-
 tur. Eminuit in hoc studio Ferdi-
 nandus Imperator, tum Gallix
 Rex Ludouicus, & Boicæ Prin-
 cept Maximilianus. Quorum illi
 quidem, hanc IGNATII gloriam
 & sibi solatio, & Regnis suis salu-
 ti, hæresibus autem latè grassanti-
 bus exitio futuram esse: iste verò,
 omnis operæ, quam belli nauasset,
 laborumque & periculorum, qui-
 bus suum pro patriâ caput obieci-
 set; denique sumptuum ibi facto-
 rum, locuplerem remunerationem
 fore, prædicabant. Impulsus graui-
 bus momentis Pontifex, post-
 quam, dato negotio, Patres pur-
 purati, ceteraque Curia, rem om-
 nem

236 S. IGN. VITA. LIB. III.
nem penſiculatè examinatum ap-
probarunt, IGNATIVM LOIO-
LAM in SANCTOS publicè retu-
lit, die IV. Idus Martias, anno poſt
partum Virginis M. DC. XXII.
Extat eâ de re luculentum diplo-
ma Urbani VIII. duodetriginta
Cardinalibus ſubſcriptum. Secu-
tus continuo plauſus, non Urbem
magis, quàm terrarum omnium
orbem, ad gratulandam hanc DEO
Cælitibusque gloriam, excitavit.

L A V S D E O.



I N-

I N D E X

L I B R I P R I M I.

- IGNATII *natalis, & iuuenta.* Cap. I.
Mutatio repentina. Cap. II.
Poenitentia Manrese. Cap. III.
Iter Ierosolymam. Cap. IV.
Studium visendi loca sacra. Cap. V.
Reditus in Hispaniam. Cap. VI.
Studia litteraria Barcinone. Cap. VII.
Studia & eruna Compluti. Cap. VIII.
Studia & erumna Salmantice.
Cap. IX.
Studia & erumna Parisijs. Cap. X.
Socj adlecti. Cap. XI.
Alter in Hispaniam reditus. Cap. XII.
Aduentus Venetias. Cap. XIII.
Iter Romam versus. Cap. XIV.
Fundata Societas. Cap. XV.
Electio in Generalem. Cap. XVI.
Labores Romae exantlati. Cap. XVII.
Aegritudo & mors. Cap. XVIII.
Sepultura. Cap. XIX.

L I B R I S E C V N D I.

- IGNATII *modestia animi.* Cap. I.
Tranquillitas. Cap. II.
Amor Dei. Cap. III.
Amor proximi. Cap. IV.
Prudentia. Cap. V.
Precandi studium. Cap. VI.
Visa nonnulla illustria. Cap. VII.
Vaticinationes. Cap. VIII.

LIBRI TERTII.

IGNATII imperium in malos demones.

Cap. I.

Vis ad mouendos animos. Cap. II.

Miracula Romæ. Cap. III.

In Italiâ. Cap. IV.

Per Hispanias. Cap. V.

In Balearibus. Cap. VI.

Miracula per Septentriones facta.

Cap. VII.

Miracula apud Indos edita. Cap. VIII.

Miracula Miscellanea. Cap. IX.

Existimatio & auctoritas. Cap. X.

IGNATIUS inter Beatos Sanctosque pu-
blicè relatus. Cap. XI.

Ad DEI maiorem Magnæque VIRGI-
NIS & Cælitum aliorum gloriam.



SVM.


II.

SVMMA PRIVILEGII.

PHILIPPVS IV. Hispaniarum & Indiarum Rex Catholicus, ac Potentissimus Belgarum & Burgundionum Princeps. Diplomate suo sanxit; nequis *Jacobi Bidermanni* è *Societate IESV De Vitâ & Gloriâ Societatis IESV Conditoris Libros tres*, præter *Balthasaris Moreti* voluntatem vlllo modo intra sexennium imprimat, aut alibi terrarum impressos in Inferioris Germaniæ ditio- nes importet, venaléve habeat. Qui se- cùs faxit, confiscatione Librorum & aliâ graui pœnâ mulctabitur, vti latius patet ex litteris datis Bruxellæ XI. Se- ptembris, M. DC. XXXIV.

Signat.


Steenhuysse.





I

la


Ex













VITAS
IGNATI

III

Th

2545